



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia VII. De veritate & falsitate formali actuum intellectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

plura pauciorave obiecta ad Deum spectantia pertingit, v.g. decreta Dei, quæ de facto sunt, quæ si non essent, eadem visio physicè permaneret sine visionis exercitio circa talia decreta; creatura autem si ex vi alicuius visionis cognoscitur aliquod decretum diuinum, visio talis erit naturæ ut semper sit visio talis decreti, & implicat ipsam existere sine exercitio visionis circa illud, neque eademmet potuit antecedenter esse visio aliud decreti, quod Deus antecederet habere potuit, & propter hanc rationem ait Gregorius aliter Creatorem videri à se ipso, quàm à creatura, quod ipse explicuit per illa verba: *Nam quantum ad immensitatem Dei nobis modus figuræ contemplationis, quia eo ipso pendere circumscribimur, quod creatura sumus.* Ac si diceret, quantum ad infinitatē ratione cuius mensurari nequeunt arcana diuina, neque ipse Deus, nobis modus contemplationis figuræ, quia modum habet nostra contemplatio, seu cognitio, quem nequit excedere, ideo enim ipso quod pendere creaturæ circumscribimur, ita cognoscimus, ut ex vi cuiusvis visionis fixum sit obiectum, ita vt neque illud, quod semel per illam cognoscitur, non potuerit totum antecedenter non cognosci, neque quidquam aliud ultra illud quod de facto attingitur antecedenter ex vi eiusdem valeat attingi.

Ad eandem mentem facit testimonium D. Thomæ q. 8. de visione art. 2. in corp. ubi hæc habet: *Aliqua vis cognoscitiua dicitur comprehendere suum cognitum, & in quantum cognitum perfectè substat cognitioni eius: Tunc autem à comprehensione deficit, quando cognitum cognitionem excedit: & paulò post: quando id, quod intelligitur habet modum intelligendi perfectiorem, quàm sit modus, quo intellectus intelligit.* Quando verò id quod intelligitur sine mutatione physica potest velle, & non velle, amare & non amare, & diuersas denominationes actuum vitalium sortiri, & modus, quo intelligitur non potest similes denominationes sine physica mutatione sortiri, perfectiorem essendi modum habebit obiectum intelligibile quàm modus, quo intelligitur, & iuxta D. Thomam talis intellectus à ratione comprehensionis deficiet. Vnde ad secundum dicit obiectum comprehendere: *Quando scilicet visio habet modum totalem, hoc est, quando est apta attingere totum Deum, & omnes formalitates ipsius, & ita est tota visio Dei, vt in quocunque casu, & sub quacunque suppositione totum Deum, & omnes illius formalitates, perfectiones, & denominationes attingat.*

Fulcitur hic comprehensionis modus ratione desumpta à comprehensione locali, ex qua translatio sumitur ad mentalem. Eo ipso quod quis manu comprehendat corpus aliquod quantum, omnia accidentia, quæ illi denuo contingunt absque noua alia quantitate, & locali extensione ex vi eiusdem comprehensionis manu comprehensa manent; ergo eo ipso quod quis intellectu comprehendat obiectum aliquod non corporaliter, sed entitativè, quæcunque illi contingant absque diuersitate physica entitatis ex vi eiusdem comprehensionis debent permanere comprehensione. Cum ergo Deo possint contingere diuersa decreta sine noua entitate, necessum est vt cognitio comprehensionis talis sit naturæ vt ex vi eiusdem quæcunque decreta Deo adueniant, vel in alia hypothesi adueniant, maneat comprehensa.

In hoc comprehensionis modo facilè est explicare, quomodo Deus se ipsum comprehendat, cum se cognoscat cognitione quadam, quæ modò tendit in Deum, & in omnes formalitates, & omnia decreta, quæ modò habet, eademque inuariata tenderet in alia decreta, quæ Deus potuit habere ab æternitate, & de facto non habet, eademque permaneret, etiam si hæc decreta non essent in Deo, neque circa illa visionis munus exerceret. Neque ex hoc capite creatura aliqua incomprehensibilis esse potest, quia cum nulla sit, quæ possit nouas denominationes sortiri sine noua alia entitate, neque intrinsecè inuariata velle, & non velle, hos, vel illos actus exercere, nulla est, quæ exigat ad sui comprehensionem cognitionem aliquam, ex vi cuius intrinsecè inuariata possint diuersæ formalitates cognosci, & non cognosci, & debeant cognosci ex suppositione, quod existant, & non cognosci, casu, quo tales formalitates non existant in obiecto, sicut enim noua denominatio subiecti creati aduenit per productionem nouæ entitatis, sic noua illius cognitio per nouam aliam productionem entitatis tendentis in nouam formalitatem sufficit ad illius comprehensionem. Hæc passim de com-

prehensione dixi, quia etsi ab Animastico non sit aliena illius tractatio, magis ad Theologum attinet, quapropter de sententiis suprà dictis iudicium non fero, sed Theologis ferendum relinquo.

CONTROVERSIA VII.

De veritate & falsitate formali actuum intellectus.

VERITAS est duplex: transcendentalis & formalis: de veritate transcendentali dicam in Metaph. Controuers. 3. nunc de veritate formali, & de falsitate, quæ huic opponitur disputationem instituo.

PUNCTUM PRIMUM.

An veritas & falsitas distinguantur ab actu intellectus.

§. I.

Refelluntur aliqua sententia.

EST prima opinio veritatem, & falsitatem esse relationem rationis, pro qua refertur P. Valquez i. p. disp. 26. cap. 2. qui si attentè legatur in hac, & aliis similibus questionibus, in quibus rerum essentias constituit in ente rationis nihil aliud intendit, quàm asserere rerum essentias concipi à nobis, vt ens rationis per fictionem, quæ apprehendimus veram relationem inter extrema realiter absoluta, realiter tamen esse verum consistere in denominatione extrinseca, seu in fundamento proximo, quo intellectus ens rationis confingit. Hoc in re verum est, modus tamen loquendi mihi non placet, quia aliud est id instar cuius rei essentia cognoscitur, aliud essentia, quæ instar alterius cognoscitur; & cum inquirimus quid sit res, v.g. quid sit veritas non querimus, instar cuius veritas cognoscatur, sed quid veritas ipsa in se sit.

Hæc de mente P. Valquez: verum tamen non pauci tanti Magistri verba, vt sonant, interpretantes, defendunt, veritatem, & falsitatem consistere in relatione quadam rationis inter propositionem seu iudicium, & obiectum: contra quos in hunc modum argumentor. Antequam sit hæc relatio rationis in qua consistere dicitur veritas, seu falsitas iudicij, iudicium constituitur verum vel falsum: ergo veritas, vel falsitas non potest consistere in hac relatione: antecedens probo: antequam exurgat hæc relatio, in qua consistit veritas, debet habere fundamentum diuersum ab illo, quod haberet relatio, in qua cõsisteret falsitas, exempli gratia dico ego, *Petrus currit*, antequam hoc iudicium fundet relationem rationis, quæ formaliter constituitur verum, debet esse aliquod fundamentum distinctum ab illo quod esset, si loco relationis, quo actus constituitur verus, insurgeret relatio, quæ constituitur falsus; ad hoc enim vt detur relatio, quæ actus constituitur verus, debet supponi obiectum eo modo quo affirmatur per actum; & ad hoc vt detur relatio, quæ constituitur falsus, debet supponi obiectum aliter, ac per iudicium repræsentatur: sed in hoc diuerso modo, quo supponitur obiectum, consistit veritas, vel falsitas: ergo antequam sit relatio formaliter iudicium cõstituitur verum vel falsum. Minorem probo: eo ipso quod obiectum se habeat eodem, vel diuerso modo, quo repræsentatur per actum, intelligitur iudicium conforme, vel disconforme cum obiecto; ex eo enim quod res sit, vel non sit, sumitur veritas, vel falsitas, eo enim ipso præcisè, quod quis dicat rem aliter ac est, dicit falsum; & eo ipso quod quis dicat rem sicuti est, dicit verum.

Secundò iudicium, quo Deus iudicat ipsum esse Deum, ab æterno est verum, etiam si nullus sit intellectus, qui fingat ens rationis: idem dico de iudicio quo ego iudico Deum existere, quod tantum fertur in Dei existentiam, &

non

non in aliquod ens rationis, & quacumque alia seclusa cognitione terminata ad ens rationis verum est: ergo veritas non consistit in ente rationis. Dices hæc iudicia non esse vera formaliter, sed tantum fundamentaliter, donec adueniat ens rationis factum per cognitionem, quæ cognoscantur ut vera. Contrā: in primis mihi absurdum est, actus intellectus diuini, quibus iudicat ipsum existere, esse omnipotentem, & infinitum creaturas ab illo dependere, veros non esse formaliter quovisq; postea cognoscantur per cognitionem factiæ ens rationis, ex hoc enim inferitur plura iudicia, quæ à nobis non cognoscuntur, & ideo nullum ens rationis illis impingimus, formaliter non esse vera, sed tantum fundamentaliter. Deinde sequitur, Deum realiter, & secluso figmento, non habere iudicia vera formaliter, neque formaliter verè iudicare, sed tantum fundamentaliter, quæ omnia etiam si explicentur à sectatoribus sententiæ, quam impugno, ita ut in se nihil absurdi contineant, nihilominus ut sonant, non bene apud plurimos audient. Secundò hunc dicendi modum impugno, Id quod secundum hanc sententiam verum fundamentaliter, & non formaliter appellatur, sufficit ut propositio vera formaliter dicatur, dicit enim iudicium, & obiectum existens eo modo, quo iudicatur: ergo malè ad alia entia rationis recurrunt, ut iudicium verum formaliter constituat: & sine fundamento in plures se iniiciunt difficultates, plura dura factis, & nimis difficilia tentant propugnare. Hæc impugnatio notam facit sententiam, quam euerit, quæ tantum differt à communi, quam postea tradam, ex eo quod veritatem fundamentalem appellet, quod communis sententia melius veritatem formalem esse dicit, & supra hanc veritatem formalem, quam fundamentalem esse dicit sententiæ, de qua agimus, fictitiè fictionem, seu ens rationis superaddit, ut aliquid inueniat, quod formalem veritatem appellet.

4 Secunda sententia, quam alij amplectuntur apud P. Soar. disp. 8. metaph. sect. 1. veritatem constituit in quadam relatione reali prædicamentali inter iudicium & obiectum ab utroque distincta. Hæc opinio eisdem rationibus, quibus præcedens, efficaciter impugnatur, quia antequam adueniat relatio; debet supponi fundamentum, in quo formaliter veritas, vel falsitas illa relatione seclusa reperitur: habet insuper speciales impugnationes. Actus intellectus diuini non possunt esse fundamentum alicuius relationis prædicamentalis superadditæ, & tamen sunt veri: ergo veritas illorum non consistit in relatione superadditæ. Dices relationem, quæ actus intellectus diuini constituitur formaliter verus, non subiectari in actu, sed in obiecto. Contrā: actus quo Deus seipsum cognoscit, & illa, quæ sunt intrinseca propria Dei, habet pro obiecto ipsum Deum: sed in Deo nulla potest esse relatio prædicamentalis superaddita: ergo neque in hoc actu neque in illius obiecto potest subiectari aliqua prædicamentalis relatio, quæ actus verus formaliter reddatur. Secundò, relationes prædicamentales superadditæ si dantur, exigunt fundamentum, & terminum actu existentem: sed cognitio vera sæpe respicit obiectum non existens, sed purè possibile, vel præteritum, seu futurum, & aliquando fictum, ut cum dico, ens rationis non habet esse: ergo nulla relatio prædicamentalis potest reperiri in his propositionibus, quæ illarum obiectum tanquam terminum respiciant. Vltimò has relationes prædicamentales non dari in rerum natura ostendam in Metaph. Controu. 9. Punct. 4.

5 Consent alij veritatem & falsitatem non distinguere ab actibus intellectus suppositis quibusdam connotatis, quorum his positus actus per suammet entitatem verus est, ita ut si horum loco alia connotata ponerentur, idemmet actus per eandemmet entitatem falsus esset. Non possum passim contra hos connotatores integram instituire disputationem: illos insequor in Metaph. Controu. 9. Punct. 4. §. 2.

§. II.

Refellitur sententia P. Hurtadi.

6 Pater Hurtadus docet disp. 9. de anima sect. 3. Veritatem (idem tene semper de falsitate) formaliter & ex natura rei esse idem cum actu intellectus, ita ut actus qui est verus ita per suam entitatem intrinsecè verus sit, ut neque de potentia Dei absoluta possit non esse verus, quæ

propter actus quo dico ego *Petrus currit*, currente Petro, esse non posset, si Petrus non curreret, sed casu, quo non curreret, esset alius actus intrinsecè falsus. Neque consequenter, neque verè. Non consequenter, quia Hurtadus disp. 15. Metaph. sect. 2. asserit relationem similitudinis consistere in utroque extremo simul sumpto: ergo veritas, quæ est quasi similitudo quædam intentionalis inter iudicium, & obiectum debet consistere in utroque. Verge. Hanc albedinem esse similem illi, seu sicuti illam, dicit hanc & illam albedinem: ergo hoc iudicium dicere rem sicuti est, dicit ipsum iudicium, & rem existentem eo modo, quo per iudicium representetur: sicuti enim similitudo dicit albedinem hanc esse sicuti est illa, ita veritas dicit iudicium representare rem, sicuti est illa res, quod importat iudicium rem hac ratione representare, & rem hac ratione existere. Non verè opinatum esse Hurtadum sic probo. Actus quo ego dico modo *Petrus currit* erit idem, si Petrus currat, siue non currat: sed si Petrus currit erit verus, falsus, si non currit: ergo idem actus indifferens est ut sit verus, vel falsus: ergo non habet veritatem aut falsitatem intrinsecam. Totum argumenti negotium in probanda maiori situm est, quam sic ostendo. Actus quo ego dico *Petrus currit*, nullam potest habere connexionem cum obiecto, ergo idem esset etiam si obiectum non existeret. Antecedens probo. Obiectum non potest physicè influere in actum, ut plurimam enim est distans & sæpe non existens, sed præteritum, vel futurum, & non raro non est ens possibile, sed tantum negatiuum: ergo non potest physicè influere; non moraliter, quia nullum est fundamentum huius influxus moralis, neque ex aliquo capite talis influxus est necessarius: ergo non est ponendus, quæ enim potest esse connexio inter actum naturalem, quo dico *Petrus currit*, & negationem crastinam Petri? Dices esse connexionem veræ imaginis, & representationis veræ cum obiecto, sicuti est connexio inter relationem cum suo termino. Contrā. Representatio ut sic connexionem non habet cum re representata, aliis nulla daretur representatio falsæ: representationem veram formaliter ut veram fateor, habere connexionem, seu includere obiectum; petitur tamè principium, cum dicitur actum secundum se habere connexionem cum termino, quatenus est vera representatio obiecti, quia disputamus an actus secundum se præcisè dicat rationem veræ representationis, seu veritatis alicuius representationis: assignanda est ergo ratio propter quam actus secundum se connexionem habeat cum futuritione negationis, quam representat: sed esto, habeat actus verus connexionem cum existentia obiecti, quod representat, quia est imago, & representatio illius argumentor de actu falso. Actus falsus quo ego dico modo: *Petrus currit* erit, non est imago neque representatio negationis cursus crastini Petri: ergo non potest habere connexionem cum tali negatione; ergo etiam si defecet talis negatio, & existeret cursus crastinus Petri, cuius talis actus est representatio, posset talis actus existere: ergo actus qui modò est falsus, posset esse verus: ergo non est intrinsecè & per suam entitatem falsus.

7 Verge: etiam si actus iste quo ego dico *Petrus currit*, haberet connexionem cum futuritione cursus Petri, hæc connexio non posset esse physica, siquidem alterum illius extremum modò non existit: ergo tantum esset moralis, quæ actus exigeret futuritionem obiecti, quod representat, & non existeret casu, quo illud obiectum non esset extitutum: ergo posset Deus de potentia absoluta, producere talem actum contra ipsius exigentiam, etiam si illud obiectum non esset futurum: ergo talis actus posset coniungi cum negatione sui obiecti: ergo posset esse falsus: ergo per suam entitatem verus non est, vel duo inferuntur contradictoria, videlicet esse verum per suam entitatem, & simul non esse verum sed falsum ex defectu obiecti, quod representat. Dices implicare Deum producere hunc actum verum, quo ego dico *Petrus currit*, casu quo Petri cursus non esset futurus, sicuti implicat Deum producere relationem superadditam deficiente termino. Ab hoc vltimo incipiat solutionis impugnatio: Responsum ego relationes superadditas propter hanc rationem, quia percipi non potest, quomodo in me producat modus quidam superadditus, ex eo quod in India alius nascatur homo; & quomodo relatio in me producta pereat, ex eo quod terminus valde distans defecerit: ergo exemplum de relationibus potius obest, quam prodest prædictæ sententiæ.

sententia. Secundo: qui relationes has predicamentales admittunt, illas tantum annectunt terminis actu existentibus, & positivis, veritas autem saepe respicit obiecta non existentia, sed praeiterita vel futura, & saepe fertur in negationes, & in entia rationis, cum quibus nulla potest esse physica connexio, sicuti consideratur in relatione similitudinis cum termino, quem respicit. Rursus relatio tantum habet connexionem cum termino, quem respicit, haec autem sententia, quae constituit propositiones intrinsecè falsas, constituit connexionem inter propositionem, & contradictorium termini, quem significat, propositio enim falsa, quae ego dico modò: *Petrus currit*, habet pro termino cursum futurum Petri, & constituitur connexa cum negatione eius cursus futuri. Aliter solutionem impugno. Quando intellectus est in actu primo ad iudicandum Petrum cursum esse, siue Petrus cursus sit, siue non, sunt eadem principia physica ex parte intellectus: ergo possunt reproducere eundem effectum: quotiescumque enim est eadem causa, & idem actus primus, potest in eundem actum secundum prorumpere: ergo intellectus potest producere idem iudicium, siue sit cursus Petri, siue non: sed illud iudicium erit verum, si cursus Petri sit futurus, & si futurus non sit, falsum erit: ergo potest idem iudicium esse verum, vel falsum: ergo non habet veritatem aut falsitatem intrinsecam. Futuro vel non futuro cursu Petri me habere eadem principia ex parte intellectus ad iudicandum esse futurum, negari non potest, quia cursus futuritio, illiusve negatio non inest in meum iudicium: sed dices habere intellectum diversum determinativum, ratione cuius eadem causa potest diversum effectum producere, quod determinativum esse dices futuritionem cursus, illiusve negationem, quia haec determinat ad assensum intrinsecè falsum, & illa ad assensum intrinsecè verum. Contrà. Id quod actu non existit sicuti cursus futurus, & id, quod in se non est quid positivum, sed negativum, & adhuc non existens, sicuti est cursus Petri non futurus, non potest physicè meum intellectum determinare ad hunc effectum potius quam illum producendum: ergo tantum potest determinare moraliter mediâ voluntate Dei, exigendo, ut Deus potius concurret ad hunc assensum, quam ad illum: sed Deus potest operari contra hanc exigentiam morale: ergo etiam si daremus hoc iudicium exigere existentiam sui obiecti, nihilominus concedendum non esset intrinsecè esse verum, quia saltem de potentia absoluta posset illi deficere obiecti existentia. Adde quod etiam si de potentia Dei absoluta hoc iudicium non posset existere illius obiecto non existente, quod in cognitionibus divinis necessarîo reperitur, nihilominus dicendum non esset iudicium habere veritatem secum adequatè identificatam, ut probabo modò de actibus divinae mentis. Ultimò: si hoc prædicato intrinsecè identificato cum actu, rectè intelligitur actus verus, vel falsus: ergo absque fundamento tale prædicatum constituitur: Antecedens probandum illo secluso prædicato veritatem & falsitatem propositionis componam.

8 Arguit Arriaga disp. 14. sect. 1. sub. 2. contra Hurtadi sententiam sequi ex illa Deum esse causam determinantem meum intellectum ad errorem, quando iudico obiectum esse futurum, quod re vera non erit. Hoc argumentum specialem non habet difficultatem, quia auctores oppositæ sententiae dicunt negationem obiecti futuri determinare intellectum, ut eo ipso quod assensum eliciat circa tale obiectum, illum eliciat erroneum, & non verum, & ita necessum non est Deum determinare intellectum ad errorem. Fateor solutionis doctrinam veram non esse, quam supra impugnavi, sed ab illius impugnatione incipere debet argumentatio contra sententiam Hurtadi, neque est cur ab absurdo à longè petito trahatur impugnatio.

9 Arguit secundò, sequi Angelum posse cognoscere futura etiam libera in iudicio, quo illorum futuritio modò ab ipso Angelo prædicatur, quod intuitivè cognoscit Angelus, & ita deprehendit an sit intrinsecè verum, vel falsum, si intrinsecè verum cognoverit, rectè inferet obiectum esse futurum; si intrinsecè falsum esse repererit, optimè deducet illius obiectum non esse futurum. Resp. Hurtad. Angelum non posse cognoscere an iudicium de obiecto futuro libero sit verum, vel falsum, neque discernere inter iudicium verum, vel falsum de eodem obiecto libero: quia eo ipso quod illi non debeat cognitio obiecti liberi, illi non debetur cognitio obiecti ex quo possit aliud obiectum

liberum deducere. Hanc solutionem hac ratione impugnare putat Arriaga: Angelus cognoscit ea iudicia possibiliter affirmativa de peccato Petri futuro, & cognoscit unum esse intrinsecè verum, & alterum intrinsecè falsum, & postea se determinat ad habendum unum ex illis iudiciis: ergo cum postea intuitivè cognoscat iudicium ad quod ex illis quæ possibiliter cognoverit, se determinavit, quodque illorum habeat, ac proinde, an sit intrinsecè verum, vel falsum. Nec minimum premit ratio, quam Arriaga evidentem esse putavit. Hurtadus enim qui negat inter duo iudicia existentia non posse Angelum discernere, quodnam illorum sit intrinsecè verum, & quod intrinsecè falsum, idem dicit de eisdem iudiciis possibilibus, in quibus non poterit Angelus verum à falso discernere, & ita etiam si cognoscat se determinasse ad certum iudicium, quod antea possibile cognoverat, cognoscere non poterit an sit intrinsecè verum vel falsum, quia hoc in illo non cognovit dum illud prius possibile cognoverat. Alia quæ adducit Arriaga maioris ponderis non sunt, neque enim novum est rem aliquam intuitivè cognosci, & aliquid illius prædicatum cognoscentem latere ex modo quo res illa cognoscitur.

S. III.

Propria sententia.

10 **V**alde inter se differunt iudicio per suammet entitatem falsitatem repugnare, & per suam entitatem verum esse veritate adequatè identificata cum actu. Ut rem explicem suppono; quod statim probabo, veritatem consistere in iudicio, & existentia obiecti; Actus quo Deus iudicat me existere, quatenus verus, dicit actum divinae mentis, & meam existentiam, & ita illius veritas non adequatè identificatur cum ipso actu, sed tantum in adequatè, quia actum Dei dicit & meam existentiam. Nihilominus actus divinae mentis per suammet entitatem habet repugnantiam cum falsitate, quia per suam entitatem supponit obiectum, per quod simul cum illo illius veritas constituitur, & petit coexistentiam obiecti, ita indispensabiliter, ut neque de potentia Dei absoluta illi possit deficere. Itaque ut distinctè in hac questione procedatur, duo nobis definienda sunt, Primum, an veritas sit identificata cum actu. Secundo an casu quo distinguatur, actus verus connexionem habeat essentiali cum veritate, seu cum obiecto, per quod simul cum ipso actu veritas adequata constituitur.

11 Dicendum est in omni iudicio naturali, vel supernaturali, creato, vel increato, erroneo vel scientifico reperi veritatem quandam, vel falsitatem constatam ex ipso iudicio, & ex illius obiecto, secluso quocumque intrinsecò prædicato, per quod actus intrinsecè verus constituitur. Probo: eo ipso quod ego dicam *Petrus currit*, & existit Petri cursus, intellectus iudicat id quod est de facto, & res de facto se se habet eodem modo, quo iudicatur ab intellectu, alio quocumque prædicato secluso: ergo eo ipso quod sit tale iudicium in intellectu, & obiectum ad quod terminatur existens, actus est verus, quia actum esse verum nihil aliud est quam rem enunciare sicuti est. Idem dico de actu falso, qui constituitur per iudicium, quo dico *Petrus currit*, & negationem cursus Petri alio quocumque prædicato secluso. Confirmatur ratione insinuatâ num. 5. Iudicium esse verum dicit formaliter iudicium rem affirmare eo modo quo est: sed iudicium rem affirmare eo modo, quo est, non tantum dicit iudicium rem hoc modo affirmare, sed etiam rem eodem hoc modo se habere: sed rem eodem modo se habere, dicit modum quo res se habet: ergo veritas formaliter dicit modum, quo se habet obiectum: sed hic est indistinctus ab ipso obiecto: ergo actum esse verum dicit formaliter obiectum, ergo veritas dicit obiectum, non solum: ergo actum & obiectum.

12 Ex hac conclusione inferitur omnem actum à suo obiecto distinctum veritatem habere partim intrinsecam, & partim extrinsecam; intrinsecam quatenus dicit obiectum ab actu distinctum, actum verò identificatum cum obiecto, qualis est actus, quo Deus se ipsum cognoscat, & si quæ est alia cognitio creata reflexiva supra se ipsam: quæ nullum aliud habeat obiectum, esse adequatè, & intrinsecè verum per suammet entitatem, quia cum veritas nihil aliud

aliud dicat quam actum, & obiectum, & hæc sint vna indivisibilis entitas actus supra se ipsum reflectentis, veritas in hoc actu consistet, & adequatè cum illo identificabitur.

12 Dico secundò. Omnis actus naturalis abstractivus tendens in obiectum contingens; v. g. actus quo ego iudico modò Petrum Romæ existere, nullam habet connexionem cum suo obiecto, neque cum illius negatione, sed indifferens est, ut cum illo coniungatur, & veritatem constituat, vel cum negatione illius, cum qua falsitatem conficiat. Probatur hæc conclusio ex impugnationibus, quas contra Hurtadum adduxit assentem fore diversum iudicium, quo iudico Petrum esse cursum, casu quo Petri cursus futurus sit, & casu, quo talis cursus non sit futurus, & sic de aliis obiectis. Secundò nullum est fundamentum ad constituendam talem connexionem inter actum & obiectum, ergo ponenda non est. Probatur antecedens; illa connexionem seclusa, ex eo quod actus coniungatur cum illius obiecto erit verus; & ex eo quod coniungatur cum negatione obiecti erit falsus; ergo veritas, vel falsitas actus non præbet fundamentum ad illam connexionem constituendam: ergo ex nullo capite excogitari potest fundamentum talis connexionis.

13 Dico tertio. Omnis actus naturalis abstractivus etiam si veretur circa obiectum necessarium ex se nullam connexionem habet cum illo: v. g. actus quo ego dico *Petrus est possibilis*, vel *equus est impossibile*, nullam connexionem habet quatenus est ex se cum suo obiecto. Dico quatenus est ex se, quia licet hic actus, quo ego dico *Petrus est possibilis*, non possit separari à possibilitate Petri, quia hæc est necessaria, & numquam potest deficere, actus tamen ex se illam non exposcit, sed idem permaneret etiam si actus possibilitas deficeret. Probo hæc conclusionem: non minus refertur actus, quo ego dico *Petrus est actus existens*, ad existentiam Petri, quam actus, quo dico *Petrus est possibilis* ad illius possibilitatem: sed actus quo ego dico *Petrus est existens*, idem perseverat si Petrus existat siue non existat: ergo actus quo dico *Petrus est possibilis*, idem perseveraret etiam si possibilitas Petri deficeret. Dices permanere actum quo ego dico *Petrus existit*, deficiente existentia Petri, quia permanet eadem existentia possibilis. Contrà, actus non refertur ad existentiam possibilem, sed ad existentiam actu exercitam, quam respicit ut obiectum; sed posset permanere sine existentia actu exercita: ergo potest permanere absque suo obiecto: ergo etiam actus, quo dico *Petrus est possibilis*, potest quatenus est ex se sine obiecto permanere, & idem subsisteret etiam si illius obiectum deficeret. Confirmatur: modo ego possum iudicare Hircoceruum esse possibilem, etiam si de facto possibile non sit, ergo etiam possem iudicare equum esse possibilem, etiam si Equus possibilis non esset: ergo actus quo iudico equum esse possibilem, connexionem non habet cum equi possibilitate. Dices casu quo equus non esset possibilis, me iudicaturum diverso actu equum esse possibilem, ab eo quem modò habeo circa possibilitatem equi, ac proinde actum, quo modò iudico equum esse possibilem, connexionem habere cum suo obiecto. Argumentor contrà: hæc sit ratio à priori conclusionis traditæ: Possibilitas equi, vel illius negatio non inluit in actum quo iudico Petrum esse possibilem: ergo siue sit possibilitas Petri, siue illius negatio, actus semper erit idem. Vide dicta n. 9.

14 Dico quartò. Omnis actus siue naturalis siue supernaturalis tendens in proprium principium effectivum tanquam in obiectum habet essentialem connexionem cum obiecto ratione cuius illi intrinsicè repugnat falsitas in ordine ad tale obiectum. Ratio est manifesta: omnis actus essentialem habet connexionem cum principio à quo dependet, quia in mea sententia actus intentionalis consistit in actione, quæ per se ipsam est affixa principio: ergo si obiectum est idem cum principio, habebit connexionem cum obiecto, licet non formaliter cum illo tanquam cum obiecto, sed tanquam cum principio, à quo essentialiter dependet. Hac ratione falsitas repugnat actui quo ego iudico me existere; quia hic actus essentialiter dependet à mea existentia: eadem ratione actus, quo ego iudico Deum existere necessariam habet connexionem cum Deo ut obiecto, quia ab illo tanquam à principio effectivo essentialiter dependet. Idem eadem ratione affirmo de visione beata, quæ tendit in Deum tanquam in obiectum, à quo tanquam à principio effectivo per se & essentialiter dependet.

Dico quintò. Cognitio naturalis intuitiva, non ex eo quod intuitiva sit, habet connexionem essentialem cum obiecto, ita ut de potentia Dei absoluta non possit existere sine illo, imò possibilis est cognitio intuitiva quæ neque naturaliter exigit existentiam sui obiecti, sed illi sit omnino per accidens, & omnino accidentaliter illi contingat veritas. Vtramque conclusionem latè probo Controv. 6. Punct. 4. n. 6. & 11.

Ex his inferes illos actus naturales siue abstractivos etiam scientificos, siue intuitivos, qui feruntur in obiecta distincta ab ipsis actibus, & ab illorum principis proximè effectivis, non habere intrinsicè repugnantiam ut illis falsitas contingat, cum per se & intrinsicè connexionem non habeant cum obiectis, & possent subsistere, etiam si obiecta deficerent, licet extrinsicè illis veritas sit necessitate ratione necessitatis obiecti.

S. IV.

De actibus diuine mentis, & supernaturalibus creaturæ.

17 Omnes actus diuine mentis exigentiam indispensabilem habere conjunctionis cum suo obiecto diuini, & ratio naturalis, quæ ostendit Deum falli non posse, id demonstrat. De actibus creatis supernaturalibus, scilicet de actu abstractivo fidei diuine, & de visione intuitiva supernaturali procedit modò difficultas.

P. Ripalda tom. 1. de ente supernaturali disp. 38. sect. 1. assertit omnem actum supernaturalem saltem ex natura rei connexionem habere cum obiecto, ratione cuius specialiter tendit in obiectum, & ex hoc peculiari modo tendendi specificationem trahit doctrinam hanc examino Controv. ubi de specificatione omnium actuum disputationem instituo, vide quæ ibi scribo si rem totam penetrare cupis. De actu fidei fert communis Theologorum sententia non posse esse falsum. Ita P. Soar. 2.2. disp. 3. sect. 13. P. Conink, disp. 10. dub. 5. P. Torres disp. 3. dub. 3. nihilominus non facile reddetur ratio, cur actus fidei saltem supernaturaliter falsus esse non possit, quod disputat Ripalda disp. 35. de quo non nihil breuiter dicam. Ex duplici capite posset actus fidei falsus excogitari, vel quia fertur in rem reuelatam reuelatione diuina actu existente, quæ falsò reuelata fuit: vel quia fertur in reuelationem actu non existentem, quam existere prudenter existimat. Ut si quis modò existimaret, reuelatum esse, & ab Ecclesia definitum, Beatissimum Virginem habem originalis non contraxisse, quia illi illi vni alijs digni fide testati sunt, quibus prudenter fidem adhibuit: inquiritur an in hoc aliove simili casu possit quis ferri in reuelationem diuinam falsò existimatam actu fidei diuine supernaturalis, cui falsitas contingere possit. Deinde si concedatur posse dari actum fidei, qui feratur in reuelationem falsò existimatam, alia suboritur difficultas, an actus fidei, qui de facto datur respiciens reuelationem actu existentem, v. g. actus, quo ego credo Verbum assumptissimè humanitatem, talis sit nature ut essentialem connexionem habeat cum existentia reuelationis, in quam fertur, ita ut illa non existente, actus existere non possit; an verò possit idem subsistere etiam si Verbum humanitatem non assumpsisset, neque reuelatio huius misterij existeret.

19 Actum fidei diuine non posse falsitatem habere supposita existentia reuelationis diuine, quam respicit ut motum formale obiecti crediti, extra omnem controversiam esse debet, implicat enim Deum reuelare obiectum, quod non est, & ita implicat non existere obiectum reuelatum à Deo, & consequenter implicat non esse verum actum, qui fertur in obiectum, quod Deus reuelauit.

20 Circa secundum modum, quo inquiritur an actus fidei falsus esse possit, duo sunt examinanda: Primum, an actus fidei possit ferri in reuelationem falsò existimatam: secundum, an ex suppositione, quod posset ferri in reuelationem falsò existimatam, posset falsitatem habere. Circa secundum, affirmo ex suppositione, quod actus fidei possit ferri in reuelationem falsò existimatam, actum fidei posse esse falsum, ex defectu existentie obiecti crediti per talem actum, quod sic probo. Tota certitudo actus fidei delumitur ex reuelatione Dei, cui non potest subesse falsum, quia Deus mentiri nequit: ergo deficiente reuelatione Dei, nullum est caput, ex quo certitudinem actus fidei delumatur. Confirmatur: non maiorem connexionem habet actus cum obiecto materiali, quam cum formali: sed actus, qui ferretur tanquam in formale motum in reuelationem falsò

falsò existimatam, connexionem non haberet cum existentia obiecti formalis: ergo neque cum existentia obiecti materialis: ergo ex defectu existentie materialis obiecti posset falsitate sortiri. Vltimò sentiunt multi actum fidei nò solum esse formale assensum obiecti reuelati, sed etià reuelationis: ergo si daretur actus fidei respiciens reuelationem non existentem, necessarìò esset assensus existentie reuelationis, quæ non esset, & ex hoc capite non posset non esse falsus. Prima pars difficultatis, videlicet an actus fidei connexionem habeat ex natura rei, vel inuitabilem cum existentia reuelationis, in quam fertur, vt in formale motuum, ad materiam de fide spectat & ideo illi supersedeo, tantum obiter assero plerosque auctores censuræ nota inuere sententiam asserentem actum fidei posse ferri in reuelationem falsò existimatam, & esse falsum, licet P. Ripalda disp. 59. sect. 5. asserat sententiam affirmantem actum fidei diuinæ posse esse falsum ex eo quod feratur de facto in reuelationem falsò existimatam temeritate vacare. Moneo etiam hic vitandam esse aliam questionem de nomine, an videlicet actus, qui ferretur in reuelationem diuinam falsò existimatam, dicendus esset actus fidei diuinæ necne; Maior enim affirmat in 2. distinct. 23. quæst. 10. cum qui assentitur reuelationi Dei verè non existenti, proposita tamen prudenter credibili elicere actum fidei ex habitu infuso, eiusdem rationis cum illo, qui reuelationi existenti inniteretur, nihilominus vocandum non esse talem actum assensum fidei diuinæ, quia reuelatio verè non existit.

De visione intuitiva supernaturali difficilius est, an illi possit falsitas contingere, & an connexionem essentiali habeat cum obiecto: negatiui partem efficax suadet ratio. Si visio intuitiva supernaturalis essentialiter esset connexa cum obiecto, visio beata, quæ esset reflexiua supra se ipsam, quia beatus cognosceret suam beatitudinem exituram in æternum, esset incorruptibilis, etiam respectu omnipotentie Dei, ita vt illa producta non posset Deus tota sua omnipotentia intercedente illam corrumpere, neque posset ex suppositione, quod illam produceret non ab æterno illam produxisse, & illam in æternum conseruare: consequens est absurdum: ergo antecedens. Consequentiam probò. Visio illa eo ipso quod essentialiter esset affixa suo obiecto, implicaret illa existente, obiectum non existere, sub illa mensura sub qua representatur ex vi illius visionis: sed obiectum est ipsa visio in æternum durans: ergo eo ipso quod talis visio in aliquo tempore existat: debet ipsa, quæ est obiectum sui ipsius in æternum durare. Consequens esse absurdum probatur, quia omnis creatura dependet essentialiter à Deo liberè illam producente, & conseruante: ergo si creatura aliqua non posset corrumpi à Deo in quocumque instanti, non liberè talem creaturam conseruaret, quod per se absurdum est. Instantiunt communiter Doctores P. Vasquez 1. part. disp. 182. num. 9. affirmat asserere respectu Dei aliquid creaturam esse immortale, erroris notam mereri. P. Suarez lib. 1. de Angelis asserit de fide esse Deum posse destruere Angelos, & id esse generale omnibus rebus creatis. P. Tannerus 1. part. disputatione 5. questione 1. dub. 3. num. 15. affirmat de fide esse posse Deum destruere, & in nihilum redigere omnem creaturam, pro quo adducit illud Sap. 11. vers. 26. *Quomodo aliquid posset manere nisi tu voluisses? aut quod à te creatum non esset, conseruaretur?*

Prædictæ censuræ Arriagam non terruere, qui disp. 15. de Duratione, sect. 2. num. 64. probabilius putat posse Deum producere creaturam per se ipsam tempore indiuisibili durantem, v. g. per vnā horā, quā nō possit corrumpi à Deo, sed Deus teneatur illam conseruare per integram horā ex suppositione, quod illam primò produxerit, quā necessitatem asserit Arriaga esse consequentem, quia Deus qui liberè voluit illam creaturam producere, liberè voluit illam per integram horā conseruare, non enim distinguitur decretum primò producendi illam creaturam, à decreto illam conseruandi per totam horā, quia ex parte obiecti idem indiuisibiliter est creaturam illam produci, & ipsam per horā conseruari, eum per eandē entitatē indiuisibilem indistinctā à termino productio existat in instanti, in quo primò producit, & in reliquis integram cōplentibus horā. P. Ripalda disp. 59. num. 8. solationem hanc impugnat, intendens probare necessitatem non esse consequentem, sed antecedentem decretum Dei, quia ex

Franc. de Guicedo, Philosoph. Tom. II.

natura illius entitatis independentem ab omni actu libero Dei implicat Deum non conseruare illam creaturam, ex suppositione quod illam primò produxerit. Ceterum si res hæc disputatione non confundatur omnibus clarè patet huius necessitatis natura, de qua nulla potest esse dissentio, quia certum est necessitatem conditionatam conseruandi creaturam ex suppositione, quod illam producat, esse antecedentem ad omnem actum liberum Dei, si talis creatura possibilis est, sicuti necessitas creandi animal rationale ex suppositione, quod Deus velit hominem creare, est ante omnem actum liberum Dei. Secundò, certum est necessitatem absolutam conseruandi creaturam illam non esse antecedentem ad actum, quo Deus illam liberè produxit, quia si Deus liberè creaturam illam non produxisset, quod rectè potuit facere, non teneretur illam conseruare. Deinde certum est Deum non posse respectu talis creaturæ præcindere decretum illam producendi à decreto eandem conseruandi, quia implicat illam producere, & non eandem conseruare.

Ex hoc inferitur quod si decretum conseruandi creaturam sit diuersum à decreto illam producendi, necessitatem conseruationis esse consequenter ad decretum productionis, & antecedenter ad decretum conseruationis, quia hoc ex suppositione illius necessarium est. Si verò, decretum conseruationis & productionis indiuisibiliter sit idem, sicuti decretum primò producendi creaturam absolute liberum est, ita decretum conseruandi eandem libertatem habebit. Vnum tantum erit Deo necessarium antecedenter, videlicet non diuidere decretum, quo vult illam creaturam primò existere, à decreto, quo vult eandem durare quod non esse absurdum posset suaderi, quia creaturam illam primò existere, & durare realiter esset idem, & sicut non est absurdum, Deum non posse præcindere decretum producendi rationale, à decreto procedendi animal, quia animal & rationale sunt idem, ita non videtur absurdum non posse diuidere decretum, quo vult illam entitatem primò existere à decreto quo vult eandem tempore diuisibili durare, quia illam primò existere, eandemque durare, realiter sunt omnino idem. Confirmatur implicat Deum producere ubi Angelicum ex vi cuius responderet toti spatio huius cubiculi, quin illud producat respondens toti spatio huius cubiculi, neque potest ad aliquam cubiculi partem illud ubi reducere: quod si Angelus vel alia entitas secū identificatum haberet ubi, ex vi cuius responderet toti spatio huius cubiculi, quod non repugnat, repugnaret Deū producere illam entitatem, & non illam producere præsentem toti cubiculo, quod nihil omnipotentia derogat ergo sicuti possibilis est entitas, quam non possit Deus producere nisi in tanto diuisibili spatio loci, ita poterit dici esse possibilem entitatem, quā Deus non possit facere existentem nisi in tanto spatio diuisibili temporis, ita vt in minori non possit illam durantem continere. Non specie caret hæc illatio, præcipue in opinione, quæ doctrinam de durationibus superadditis admittit, in mea verò sententia, quæ illas negat, non vrget, quia nihil est per se ipsum fixum spatio temporis imaginarij, sicut est loci.

Noster Lugo de Incarnat. disput. 12. sect. 1. n. 20. singulari & peracutam aggressus est viam: supponit visionem in actione consistere, asseritque actionem à duratione non distingui. Ex quo infert omnem actionem, & consequenter omnem visionem durantem essentialiter, & esse successiuam habentem partes priores, & posteriores successiuè fluentes, ratione quarum dicitur actio seu visio durare, sicuti motus localis, non quia visio, neque aliqua pars illius eadem physice durat, seu permanet tempore aliquo diuisibili, in singulis enim instantibus singulæ actiones, & singulæ visiones adueniunt, quæ tantum durant per vnicum instanti in quo corrumpitur visio, quæ immediatè antea præcessit. Hac ratione visio beata quæ representat beato ipsam perpetuò duraturam, representat se ipsam physice existentem in illo instanti, & non vltiā, & reliquas omnes, quæ post illam succedent futuras in instantibus futuris, aliasque præcedentes præteritas in instantibus præcedentibus. Re ita composita etiam si visioni falsitas subesse non possit, nulla entitas incorruptibilis reperitur 30. annos enim visiones corrumpuntur in instanti immediato illi, in quo fuere productæ, quod autem producta hac visione representare alias futuras, non possint hæc quæ representantur non esse futuræ, inconueniens non est, quia sicut posita reuelatione de obiecto futuro non potest

potest non obiectum esse futurum, & Deus tenetur illud producere ex suppositione, quod illud reuelauerit, sic posita intuitionem supernaturali de visionibus futuris inconueniens non est, has non posse non esse futuras, & Deum teneri illas producere ex suppositione quod illarum intuitionem produxerit, quæ est quasi quædam clara & euident illarum reuelatio.

25 Ingenio plenam doctrinam hanc agnosco, verumtamen illi non acquiesco, propter principia quæ supponit, videlicet actionem à duratione non distingui, quæ impugno 4. Physic. Deinde etiam si mihi penitus arderent, quæ non omnino displicent non ex his principiis rem hanc componerem, semper difficultates omnibus doctrinis communes iuxta principia communia vellem dissolvere, & non ad vnius mentem aptare, quæ omnium offendunt. Secundo ex hac solutione argumentum desumo. Ex eo quod hæc visio existens in hoc instanti sit intuitio aliarum futurarum, non est inconueniens illa producta, non posse Deum non producere alias visiones futuras, & non posse diuidere decretum producendi hanc à decreto producendi alias: ergo non erit inconueniens dari visionem aliquam quæ sit intuitio sui ipsius durantis seu sui durationis venturæ, ex vi cuius teneatur Deus illam durantem conferuare, seu illi durationem, cuius est intuitio exhibere, ita ut non possit diuidere decretum existentia visionis à decreto durationis eiusdem, sicut enim visio illa, quam P. Lugo assignat, est veluti clara & euident reuelatio aliarum visionum immediatè succedentium; sic visio, quæ seipsam perpetuò durantem representat, est veluti reuelatio clara & euident sui ipsius durantis, & suæ durationis immediatè & perpetuò succedentis, neque maior est necessitas, quæ cogit Deum visionem hanc conferuare, quàm, quæ illum obligat visiones alias infinitas producere: ergo sicuti non repugnat neque est contra libertatem Dei producere visionem, ex vi cuius inuitabiliter teneatur visiones alias infinitas perpetuò producere; sic non repugnat producere visionem, ex vi cuius teneatur eandem perpetuò conferuare.

26 Verisimilius censerem, si Deus posset infundere errorem posse falsitatem subesse omni cognitioni etià intuitiue & supernaturali præcisè ex prædicato visionis intuitiue & supernaturalis, seclusa obiecti necessitate. Suadet hæc conclusio ratio supra facta, semper enim durum videtur asserere posse dari aliquam creaturam, quam non possit Deus corrumpere in quocumque instanti, postquam illam produxit. Secundo probatur ratione desumpta à priori: obiectum præcisè ut est obiectum terminans seclusa motione, quam potest habere in genere causæ efficientis quatenus est obiectum motuum; non influit in visionem, sed tantum se habet per modum puri termini cogniti, seu visi: ergo illius existentia non requiritur præcisè ut terminet, sed tantum ut influat effectiue: ergo obiectum quod non influit effectiue, vel cuius influxus suppleri potest per aliam causam, non necessariò debet existere ad hoc ut sit; illius intuitio, siue naturalis, siue supernaturalis; eadè enim est ratio de vtraque; ex supernaturalitate enim non creuit connexio inter cognitionem, & obiectum, quia non magis influit obiectum in cognitionem supernaturalem, quàm in naturalem, neque minus dependet cognitio naturalis quàm supernaturalis, & ubi non est maior dependentia, maior connexio esse non potest, quia connexio inter cognitionem & obiectum oritur ex dependentia quam illa habet ab isto. Vide dicta loco citato de actu intuitiuo naturali, eadem enim est ratio de actu intuitiuo supernaturali; quod si dicatur actum supernaturalem ratione habitus, à quo procedit, vel ex modo peculiari tendendi, exigere existentiam sui obiecti, de quo Controv. 15. de anima, Punct. 4. ubi de specificatione actus per obiecta, connexio, seu hæc connexionis exigentia non esset adeò stricta ut de potentia Dei absoluta non posset actus contra hanc exigentiam existere sine proprio obiecto: ex hoc infero visionem beatam formaliter ut est beatitudo, falsam esse non posse, quia ut est beatitudo fertur in obiectum increatum quod deficere non potest, & à quo essentialiter dependet immediatè, & per se tanquam à principio effectiuo; materialiter verò, seu quatenus potest tendere in alia obiecta creata, quæ cognoscantur per eandem cognitionem intuitiuam, per quam nostra beatitudo obiectiua inuitiue cognoscatur, posse ferri in obiectum non existens, & in ordine ad tale obiectum creatum falsitatem habere.

Obiicies sequi ex hac conclusione, nostram beatitudinem consistere in cognitione falsa & erronea, quod absurdissimum est. Resp. nostram beatitudinem obiectiuam consistere in Deo optimo maximo qui summè bonus est, ex quo omnium bonorum fons perennis emanat; beatitudinem verò formalem consistere in cognitione huius summi boni, quæ quatenus est illius cognitio, & beatitudo nostra est cognitio omnium certissima, neque ex alio capite beatitudo formalis, quæ de facto datur, falsitatem habere potest, quia si nostra beatitudo formalis seu cognitio intuitiua Dei fertur in aliquod obiectum creatum, fertur in illud tanquam in obiectum secundarium ex vi primarij cogniti, quod obiectum necessariò existit eo modo, quo per cognitionem intuitiuam cognoscitur, quia essentia diuina intuitiue cognita non ducit ut primarium obiectum in obiectum secundarium non existens. De beatitudine alia formalis quæ posset excogitari, quæ feratur in beatitudinem obiectiuam, & concomitanter in aliud obiectum creatum, ad quod cognoscendum non determinet beatitudo obiectiua, non puto fore absurdum dici, posse de potentia absoluta reddi falsam (si vera est opinio, quæ asserit Deum posse errorem infundere) quatenus fertur in obiectum creatum non spectans primariò, neque secundariò ad beatitudinem obiectiuam, & simul esse cognitionem veram quatenus fertur in beatitudinem obiectiuam, & in obiectum quod ex vi illius cognoscitur.

Obiicies, sequi illam beatitudinem non posse dici cognitionem veram adhuc quatenus fertur in beatitudinem obiectiuam, quia cognitio, quæ fertur in plura obiecta, ex eo præcisè, quod vnum obiectum non existens respectu, solutè est falsa, & non dicitur vera respectu alius obiecti existentis. Sicuti cognitio, quæ ego dico, omnis homo currit, ex eo quod vnus non currat reliquis omnibus currentibus absolutè dicitur falsa, & non dicitur vera per ordinem ad alios currentes. Resp. propositionem affirmantem duo obiecta disparatè, & non conjunctionem illorum, posse esse veram in ordine ad vnum obiectum & falsam in ordine ad aliud, quia propositio illa, etsi sit vnum tantum iudicium, perinde se habet, ac si esset duplex & idem & eodem modo existens significat, quod duplex propositio realiter distincta significaret: propositio verò quæ significat non solum duplex obiectum, sed illorum simultatem, seu conjunctionem, absolutè est falsa ex defectu cuiusvis obiecti, quia alterum quod superest non manet eo modo, quo significatur, significatur enim alteri coexistens, & manet sine hac coexistentia, hac ratione propositio, quæ dico omnis homo currit, absolutè est falsa, & nullo modo vera non currente Petro, etsi currat Ioannes, quia non solè affirmat Petrum currere, & Ioannem currere, sed Petrum currere simul cum Ioanne, & Ioannem currere simul cum Petro, quod neque respectu Petri neque Ioannis verificatur.

Obiicies. Cognitio beata formaliter quatenus est beatitudo tantum connexitur essentialiter cum Deo tanquam cum principio à quo essentialiter effectiue dependet, ita ut si per impossibile, hæc numero beatitudo posset prodigi ab alio principio adquatè distincto à Deo opinio, Deo repugnante, seu non existente posset illius intuitiua visio permanere: ergo non potest beatus habere certitudinem, Deum, quem videt realiter, esse existentem, quia potest dubitare, an illa visio producatur ab alio vero Deo distincto ab illo quem videt, & an Deus ille, quem videt sit verus vel apparens. Neque potest responderi beatum intuitiue videre visionem suam produci à vero Deo, quia postquam hoc viderit poterit rursus de illo obiecto visio dubitare, si enim semel supponamus visionem intuitiuam non habere connexionem cum obiecto formaliter ut obiecto, seclusa ratione principij, possumus de his quæ videmus dubitare, an forsan decipiamur, sicuti decipitur ille qui videt colorem existere, nullo existente colore. Resp. duplicem esse certitudinem, quamdam subiectiuam in ordine ad subiectum; aliam obiectiuam in ordine ad obiectum, & vtramque habere visionem beatam supra omnem aliam ex cogitabilem. Certitudinem obiectiuam habet visio beata ex necessitate sui obiecti, quod nullo modo potest deficere, & sicuti est ens summè necessarium, ita summam certitudinem obiectiuam refundit in visionem. Certitudo subiectiua est, quæ subiectum redditur impotens dubitare de existentia obiecti cogniti, hanc præbet ipsa visio beata, quia visio Dei incompossibilis est cum alio actu intellectus, qui sit formalis modo

formido circa existentiam Dei, & ita ex vi illius redditur beatus omnino certus Deum existere, & esse veram beatitudinem obiectivam, quia ex vna parte illam videt, & ex alia est incapax habendi formidinem aliquam circa existentiam Dei. Adde viso intuitivè Deo dubitationem omnem circa illius existentiam fore imprudentem, & peccaminosam, sicut esset imprudens actus, quo ego dubitarem, an obiecta sensibilia quæ intueor, & sensibus percipio essent vera aut fictitia, ex eo quod possibilis sit visio intuitiva obiecto non existente; omnis autem actus imprudens, & peccaminosus impossibilis est cum visione beata, & ita illa posita non potest beatus talem actum formidolosum circa Dei existentiam elicere.

30 Explicui iam quibus actibus conveniat inevitabilis connexio cum obiecto, & qui possit ab obiectis separari, de his certum est intrinsecè, & per suam entitatem veritatem non habere, si quidem potest illis obiecto deficiente subesse falsitas; maior est difficultas de aliis qui inevitabiliter cum obiecto connectuntur, sicuti sunt omnes actus diuine mentis, etiam qui in obiecta creata ex se defectibilia feruntur, & omnes actus fidei iuxta commune Theologorum sententiam: & actus qui immediatè & per se dependent ab obiecto tanquam à principio effectiuo. Dicebam aliquando his omnibus actibus duplicem veritatem competere quandam communem omnibus, compactam ex actu, & obiecto, partim intrinsecam, partim extrinsecam: aliam propriam, & specialem illorum adæquatè identificatam cum his actibus, quas veritates inadæquatè distinguebam tanquam includens ab incluso; modò tamen magis placet asserere simplicem veritatem omnibus actibus competere compactam ex actu & obiecto, quia ut dicebam actum esse verum dicit repræsentare obiectum sicuti hoc se habet à parte rei, quod importat hanc repræsentationem, & hunc modum quo se habet obiectum. Ex hoc infero nullum actum siue naturalem, siue supernaturalem esse intrinsecè, & per suam entitatem verum formaliter præter illum qui ab obiecto realiter non distinguitur, sicuti est actus, quo Deus ipsum existere iudicat, & si quis alius creatus huiusmodi potest dari terminatus tantùm ad suam existentiam. Intercedit tamen hæc differentia inter actum habentem connexionem cum obiecto, & omnino independentem ab illo, quod huic omnino accidentèliter contingit veritas, illi verò eo necessitatis gradu, quo coniungitur cum obiecto illo, veritas eidem actui necessariò contingit, exigentia enim quam habet actus cum obiecto, est veritas radicalis, quia est exigentia, & radix illius per quod vltimò constituitur veritas actus. Hac ratione omnes actus qui naturaliter non possunt existere sine obiecto habent veritatem radicalem identificatam cum illis, ratione cuius non possunt naturaliter non esse veri, & actus qui adhuc de potentia Dei absolutè non possunt ab obiecto separari, habent veritatem radicalem essentialiter connexam cum altero extremo, videlicet obiecto requisito ad veritatem formalem; & ita neque de potentia Dei absoluta possunt carere veritate.

31 Hæc dicta sint ex suppositione, quod Deus posset infundere errorem, verumtamen semper admittere teneam, non posse adhuc diuina intercedente potentia dari cognitionem supernaturalem falsam, ideo rem aliter componendam censeo, & absolutè tenendum implicare cognitioni supernaturali falsitatem subesse, in tractatu de fide latè probo, repugnare Deum infundere errorem, quod defendunt Mædina 1. 2. q. 19. art. 1. Vincentius de Gratia Christi q. 1. p. 40. Aragon. 21. q. 1. art. 3. Respons. 2. vbi se ipsum oppositum asserentem corrigit. Coninch, disp. 10. dub. 2. Ratio est, quia summæ veracitati Dei repugnat decipere creaturam, illam autem deciperet, si illi errorem infunderet: ergo illi repugnat errorem infundere. Maior probatur, quia in mendatio intrinsecè malum est, rem suadere alteri aliter, quam est, quod est illum decipere: ergo decipere alium intrinsecè, & ex se malum est. Minor efficaciter suaderetur. Rem alteri manifestare, seu proponere aliter quam est, est illum decipere, sed hoc immediatius, & efficacius fit per infusionem erroris: ergo infundere errorem malum est. Confirmatur, in mendacio intrinsecè malum est alteri motiua proponere ad iudicandum aliter ac est ex intentione huius iudicii falsi ab altero elicendi: ergo malum etiam erit immediatè hoc iudicium alteri infundere, quo velit nolit falso iudicat, si enim præstare

Francisc. de Ouedo Philosoph. Tom. II.

causam, & motiui erroris malum est, quomodo ab hac malitiâ poterit excusare errorem in alio producere. Confirmatur: veritas est pars perfectiua iustitiæ, & virtus ad alterum, vnde vitium illi oppositum, etiam erit ad alterum id autem vitij in mendatio solum ad alterum reperiri potest, nisi quia illo realiter, ac est alteri persuadere intenditur: ergo facere, ut alius iudicet rem aliter, ac est, est intrinsecè malum: ergo à Deo fieri repugnat. Nota, me non dicere id solum vitij reperiri in mendatio, quod rem alteri persuadere aliter ac est, quia præcisè hoc, quod est signa externa cum iudicio non conformare vitium est, sed quia hoc præcisè sumptum non est ad alterum, ideo assero illud solum vitij in mendatio reperiri. Neque suadere intendo, errorem infundere esse mentiri, quia vbi non est locutio mendatum reperiri non potest, sed in infusione erroris reperiri id, etsi solum non sit, quod in mendatio malum est.

Obicies: error est malum physicum, non morale: ergo potest à Deo infundi. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia etsi pati errorem sit malum physicum, illum infundere est malum morale.

Hinc infero absolutè repugnare dari actum supernaturalem falsum, quia omnis habitus per se petit non producere actum falsum, & per suam naturam ad actum verum ordinari: ergo si Deus cum illo concurrat ad actum falsum, id faceret contra naturam, & exigentiam habitus, illumque prædeterminaret ad errorem producendum, & ita à se errorem supernaturalem infunderet.

Hæc autem repugnantia actus supernaturalis falsi, desumpta ex eo, quod Deus nullum errorem posset infundere fundatur in bonitate, & veracitate Dei, ut ostendit ratio pro illa adducta, & ita repugnantia moralis dicenda est, non quia sit minor alia repugnantia physica, est enim maior alia quacumque siue physica, siue metaphysica, sed quia non fundatur in entitate physica effectus secundum se sumpta, sed in bonitate, & veracitate Dei, & in indecentia, quæ esset si Deus errorem infunderet, sicuti repugnantia, quæ est in eo quod Deus mentiatur, dicitur repugnantia moralis, quia non desumitur ex repugnantia, quam per se habet aliquis effectus ad extra, sed ex bonitate, & veracitate Dei, cum qua opponitur mendatium à Deo per se, vel per creaturas loquente prolaturum. Quod autem repugnantia hæc non sumatur ex effectu ad extra producto probatur, quia potest produci à creaturis, & à Deo concurrente ad exigentiam illarum, ut causa prima, repugnat à Deo infundi, seu produci nulla creatura illius productionem exigente, quia sic illum producere esset illum infundere. Deinde quia Deum infundere assensum naturalem, quando per existentiam sui obiecti extrinsecè est verificandus, & repugnat eundemmet assensum à Deo infundi, quando ex non existentia sui obiecti extrinsecè, est falsificandus.

Desumpta ex hoc capite repugnantia actus supernaturalis falsi facile ratio redditur, cur non possit dari supernaturalis actus fidei, qui feratur in reuelationem falso existimantem, quilibet enim actus fidei procedit ab habitu supernaturali exigente non producere actum verum: ergo talis actus cum falsus esset, ut pote innitens reuelationi non exigenti produceretur ab habitu contra illius exigentiam: ergo esset prædeterminatus à Deo specialiter præter exigentiam omnis creaturæ, & contra exigentiam habitus producti, & infuso, cum autem repugnet Deum actum falsum infundere sit repugnare talem actum produci.

Hac ratione 1. 2. tract. 1. Controu. 3. Punct. 3. n. 3. componendam proposui difficultatem, quæ est in admittenda visione beata repræsentante suam durationem, licet ratione creaturæ ex sua natura sit defectibilis, & subiecta pleno dominio Dei habentis ius ad illam corrumpendam absque eo quod respectu huius potentie, & actus illius, corruptiones videlicet talis visionis nulla possit reperiri resistencia, & ita plenè, & absque vilo addito sit æque corruptibilis, ac Angelus, & qualibet alia entitas à Deo producta, cum hoc rectè componitur non posse falsificare, quia etsi plenum dominium sit in Deo ad illam corrumpendam, quo factò falsificaretur, ex suppositione quod Deus illam produceret, teneretur illam conservare, ne specialis Author erroris deprehendatur existere, & ne errorem infundat, quod summæ suæ bonitati, & veracitati repugnat. Itaque conservatio visionis eidem visioni irrefragabilis non est debita, sed Deus sibi debet talem visionem conservare ex

I 2 suppositio. ac

suppositione quod liberè eam voluerit producere ne Deus etiam supernaturalem infunderet. Vnde tota repugnantia corrumpendi visionem vni in Dei bonitate fundatur, & visio illa intrinsecè, & ex sua natura corruptibilis, defectibilis est, & planè subiecta dominio Dei.

37 Rem suadeo exemplo, quod iuxta communem Theologorum sententiam non admittet in Deo iustitiam specialiter dictam erga homines. Promittit Deus bonum aliquod liberaliter, seu in præmium boni operis conferendum. Hac promissione supposita repugnat ex vi fidelitatis diuinæ tale bonum à Deo non conferri, nihilominus adhuc Deus retinet plenum dominium talis boni, ex vi cuius posset absque iniuria creaturæ tale bonum non conferre, quod dominium non operatur, ut Deus vndequeque possit tale bonum non conferre, sed tantum, quod si per impossibile illud non cōferret adhuc promissione supposita nullam iniuriam creaturæ faceret, sed tantum operaretur contra suam fidelitatem, quia soli ipsi, ut fidei debet præmiū creaturæ conferendum, & non ipsi creaturæ. Sic similiter plenum dominium, quod Deus habet Authoris, & primæ causæ in visionem illam, ex vi cuius habet ad illam corrumpendam, si vellet non operaretur, quod Deus vndequeque posset illum corrumpere, sed non repugnare illius corruptionem ex defectu domini, neque exigentia, quam haberet creatura ad suam conseruationem, neque ex connectione physica, inter entitatem, ut primo existentem, & durantem, seu inter primam productionem, & conseruationem illius, talis enim connexio constitueret visionem ex sua natura incorruptibilem, quod repugnat, quia omnis creatura ex prædicato vniuersalissimo entis creati habet esse corruptibilem, & defectibilem ex suis prædicatis intrinsecis, & ita, ex illis corruptioni non repugnare, & ita si de facto Deus illam corrumpere non operaretur contra naturam ipsius visionis, aliūve effectus creati, cum hoc tamen rectè stat repugnare ex perfectione diuinæ, ex vi cuius tenetur verificare seu non falsificare visionem à se infusam, talem creaturam corrumpi, sicuti repugnat non conseruare alium quemcumque effectum, cuius conseruationem Deus promittit aut reuelabit instar cuius licet talis non sit se haberet visio supernaturalis à Deo infusa representans suam perpetuam durationem.

S. V.

Respondetur argumentis quæ sunt contra nostram sententiam constituentem veritatem in actu & obiecto.

38 Argumentatur primò Hurtadus pro sua sententia. Veritas est intrinseca actui: ergo non includit obiectum. Probat antecedens: veritas est conformitas imaginis cum obiecto: ergo est intrinseca actui, qui est imago, quia conformitas est proprietas intrinseca actui. Respondeo intrinsecum esse actui esse imaginem obiecti, hanc verò rationem imaginis actui intrinsecam dici conformem per suam entitatem & per obiectum, quod si extrinsecum est actui, ut respectu ferè omnium actuum contingit, simul cum illo veritatem constituit partim intrinsecam actui quatenus dicit propriam ipsius entitatem, & partim extrinsecam, quatenus dicit obiectum ab actu distinctum.

39 Arguit secundò. Veritas est perfectio actus, falsitas est imperfectio eiusdem: sed si veritas diceret aliquid extrinsecum non esset perfectio actus: ergo veritas nihil dicit extrinsecum actui. Rem confirmat: si veritas constitueretur ex actu & obiecto, veritas huius propositionis, *Petrus non currit* consistit in aggregato ex actu & negatione cursus Petri, & falsitas in aggregato ex eodem actu & cursu Petri: sed perfectior est aggregatum ex cursu & actu Petri, quam aggregatum ex actu & negatione cursus: ergo perfectior esset falsitas quam veritas.

40 Respondeo veritatem esse perfectionem extrinsecam actui, non enim ex eo, quod dicat aliquid extrinsecum, repugnat esse perfectionem actus, sunt enim plures extrinsecæ perfectiones, quæ in se sunt subiecti perfectiones extrinsecæ, & arguunt intrinsecam eiusdem subiecti perfectionem, sicuti huius extrinsecæ perfectionis carentia, arguit maximam intrinsecam imperfectionem subiecti. Ad illud quod dicit Hurtado, de aggregato in quo consistit falsitas; Respondeo illud aggregatum secundum se consideratum perfectius esse alio aggregato, in quo consistit veritas, consideratum tamen in ordine ad actum, qui ex illo aggregato denominatur, non solum non esse maio-

rem perfectionem illius, sed esse positum imperfectionem, est enim imperfectio actus quo ego dico *Petrus non currit*, coniungi cum cursu Petri, & perfectio coniungi cum negatione cursus, quia respectu huius actus maior perfectio est negatio cursus, quam cursus, licet in se maiorem perfectionem dicat cursus, quam negatio eiusdem. Addit Hurtadus Deo repugnare falsitatem, ex quo inferi veritatem esse intrinsecam perfectionem actus & falsitatem perfectionem intrinsecam. Respondeo actui diuinæ mentis repugnare falsitatem, & necessariò veritatem conuenire, non quia veritas, & falsitas est intrinseca actui, sed quia falsitas, quæ est imperfectio extrinseca cognitionis, arguit intrinsecam cognoscentis imperfectionem, & non posse habere cognitionem non veram, est maxima intrinseca cognoscentis perfectio.

Argumentatur secundò. Veritas desumitur ex actu & obiecto: ergo fundamentum est æquè verum ac actus, qui quotiescumque denominatio sumitur à duobus extremis eodem modo se habentibus, æquè vtrumque afficit, sicuti denominatio similis, quæ vtrumque extremum æquè denominat. Hoc argumento vtitur Hurtadus n. 35, nescio an memor illorum quæ dixerat n. 30. ubi ait effigiem D. Petri vel in parte includere ipsum terminum, vel ab illo dependere tanquam à connotato: ergo effigies D. Petri sumitur à pictura, & D. Petrus: ergo D. Petrus erit effigies. Secundò paternitas sumitur à principio generante & à genito: ergo vtrumque extremum dicitur Pater. Videat Hurtadus quid respondeat, ego enim assero denominationem desumptam à duobus extremis diuersæ rationis, qualia sunt actus, & illius obiectum non necessariò denominare eodem modo vtrumque extremum. Ad exemplum de similitudine respondeo, similitudinem desumi à duobus extremis omnino homogeneis, quorum vnum non habet speciale modum tendendi in alterum, quod mutui non sit, quod non contingit in cognitione & obiecto, diuerso enim modo ordinatur cognitio ad obiectum quam obiectum ad cognitionem. Adde posse dici veritatem denominare obiectum verum, dicimus enim verum esse quod asserimus, & non sequi ex hoc obiectum habere veritatem intentionalem, quia veritas intentionalis dicitur ex eo quod illius subiectum intentionale sit eadem in hoc subiecto videlicet in cognitione, veritas intentionalis dicitur, & in obiecto non veritas intentionalis, sed obiectus denominatur, sicut eadem curritas in nalo, & non in alio finitas dicitur.

Argumentatur tertio. Hic actus, v.g. *Petrus est homo*, per suam essentiam est representatio Petri sicuti est ergo per suam essentiam est verus: ergo illius veritas nihil extrinsecum importat. Respondeo illum actum per suam essentiam habere representare Petrum esse hominem, in quo non adequatè consistit formalis veritas, quia etiam permaneret idem actus cum eadem representatione, si per impossibile Petrus non esset homo, actus ille verus non esset, non tamen haberet per suam essentiam Petrum esse hominem, quod formaliter requiritur ad illius veritatem, & ita non habet per suam essentiam adequatum constitutum veritatis. Ad formam argumenti. Resp. distinguendo propositionem illam: *hic actus, Petrus est homo, per suam essentiam representat rem sicuti est*: distinguo, per suam essentiam, representat rem, & modum, quo de facto est, concedo, per suam essentiam habet rem, & modum illius, ita esse sicuti representatur per talem actum, nego: ergo per suam essentiam habet veritatem, nego consequentiam, quia veritas dicit rem ita representari, & hanc se habere illo modo, quo representatur: quod dicit representationem, & obiectum representatum, & non tantum representationem, quia in eodem sensu in quo dici potest hunc actum *Petrus est homo*, per suam essentiam representare rem sicuti est, dici potest obiectum, v.g. Petrum per suam essentiam esse sicuti representatur per illum actum, & ex hoc capite non magis veritas tribui potest actui quam obiecto.

Argumentatur quinto. Actus vel per suam essentiam similatur subiecto, vel non assimilat: si primum per suam essentiam est formaliter verus: si secundum per suam essentiam est formaliter falsus: ergo non potest esse indifferens ut constitutur verus vel falsus per aliquid positum. Ratione hanc confirmat. Actus in ratione veri non habet maiorem dependentiam ab obiecto, quam in ratione representationis. sed in ratione representationis constituitur per suam essentiam: ergo in ratione veri. Retorqueo argumentum

argumentum. Quantitas vel per suam essentiam est equalis, vel non est equalis. Si primum, per suam essentiam, & non per aliquid extrinsecum habet aequalitatem: si secundum, ergo per suam essentiam est inaequalis: ergo non potest esse equalis per aliquid superadditum. Respondent nonnulli actum per suam essentiam, neque assimilari obiecto neque non assimilari, sed praescindere. Hic respondendi modus veram doctrinam rebus in se contradictionis confundit, dum enim dicit actum per suam essentiam neque assimilari, neque non assimilari, duo contradictoria expressè tradit, primum enim dicit, actum per suam essentiam non assimilari obiecto, id enim sonant illa verba, *neque assimilatur*, & postea id ipsum negat per illa verba, *neque non assimilatur*, in quibus negatio superadditur immediate praecedentibus, quia fit propositio contradictoria praecedentis. Respondeo actum per suam essentiam non assimilari cum obiecto, sed manere indifferentem, vt assimilatur non per essentiam, quia per hanc dixi non assimilari, sed per aliud superadditum, aliud enim est actum per suam essentiam non assimilari cum obiecto, aliud per suam essentiam habere non assimilari cum obiecto; hoc posterius est falsum, quia per suam essentiam neque habet assimilari medio alio, neque non assimilari medio illo, sed est indifferens, vt assimilatur vel dissimilatur per aliud superadditum actui: qui per suam essentiam, hoc est, praecise ex vi essentiae non dissimilatur. Ad confirmationem Respondeo falsum esse illud Antecedens, quia actus in ratione representationis tantum dependet ab obiecto tanquam ab aliquo extrinseco, & in ratione veri dependet ab illo extrinseco actui, sed intrinseco veritati, quam adintegrat. Hae sunt praecipua argumenta quae ex doctrina quam tradit Hurt. sect. 3. subsect. 3. ubi nostram sententiam impugnatur, & subsect. 4. ubi propria probatur, colligi possunt.

44 Argum. sextò: Veritas desinitur ex actu & obiecto: ergo si obiectum sit ens rationis, veritas erit partim realis, partim rationis. Secundo si obiectum non sit existens sed possibile, praeteritum, vel futurum, veritas partim erit existens, partim possibilis, praeterita vel futura. Resp. negando consequentiam, quia veritas est denominatio quaedam moralis, quae licet sumatur ab actu reali existenti, & ab obiecto rationis praeterito vel futuro semper dicitur realis, & actu existens per ordinem ad actum intellectus realem, & actu existentem, à quo praecipue denominatio sumitur, vt patet in denominatione prioris & posterioris, quae actu esse dicitur ex eo quod actu sit subiectum supra quod cadit denominatio, etiam si illud à quo procedit denominatio actu non sit, ego enim actu sum posterior Adamo, & prior Antichristo, licet denominatio prioris respectu Adam dicat Adamum praeteritum, & denominatio posterioris respectu Antichristi dicat Antichristum futurum.

PUNCTUM II.

An propositio possit transire de vera in falsam.

§. I.

Propria sententia.

1 Dificultas haec locum non habet in opinione asserente veritatem, & falsitatem esse omnino intrinsecam & identificatam cum actu; actus enim qui per se ipsum verus est, non potest non habere veritatem: possent tamen connotatores rem hanc in questionem vertere, cum enim illi asserant eundem actum posito hoc connotato per suam entitatem verum esse, & alio posito per suam entitatem falsitatem habere, eadem ratione possunt dicere ex mutatione connotatorum actum mutari de vero in falsum, quia deficit connotatum, quo posito actus per suam entitatem verus erat, & successit aliud connotatum, quo posito, idem actus per suam entitatem falsus est. Familiarior est huius difficultatis disputatio his, qui nostram amplectuntur sententiam de natura veritatis partim intrinsecam, partim extrinsecam actui, ex quibus nonnulli illam probare intendunt ex eo quod idem actus de vero in falsum possit transire. Transiunt hunc possibilem esse sentit P. Soar. supra n. 19. & alij cum ipso. Communis sententia fert, eundem actum non posse de vero in falsum, aut è contrà transire, etiam si veritas formaliter obiectum extrinsecum actui importet: amplector hanc sententiam, quam iam proba-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 11.

2 Actum significantem tempus determinatum non posse transire de vero in falsum fatentur etiam sententiae oppositae sectatores, quod sic ostenditur. Actus quo ego dico *Petrus currit in instanti A*, vt verus sit debet supponere Petrum currentem in instanti A: sed Petro currente in instanti A, implicat illum actum esse falsum: ergo supposita veritate illius actus repugnat falsitas eiusdem. Probo minorem; Petro currente in instanti A, implicat ipsum non currere in illo instanti: ergo implicat propositionem illam esse falsam, quia illius falsitas essentialiter dicit negationem cursus Petri. Idem fit argumentum ad probandum propositionem non posse transire de falsa in veram, quia cum semel falsa constituitur supponitur Petrum non currere in illo instanti: quia suppositione facta implicat in eodem instanti currere, quod essentialiter requiritur, vt hic actus *Petrus currit* sit verus: eadem etiam ratione arguitur cum propositio est de praeterito, aut de futuro; cum enim dico *Petrus cucurrit*, ad hoc vt vera sit haec propositio, supponitur illum cucurrisse, quo facto implicat non cucurrisse, similiter vt sit falsa supponitur non cucurrisse, quo supposito implicat cucurrisse, quia implicat non fuisse quidquid iam fuit, ex suppositione quod fuerit, & implicat fuisse quidquid non fuit ex suppositione, quod non fuerit. Idem intellige de futuris, quia implicat rem non esse futuram supposita illius futuritione & implicat esse futuram supposita negatione futuritionis rei.

3 De propositione quae nullum tempus determinatum significat, vt cum quis dicit, *Petrus currit*, non intendens significare cucurrisse in hoc instanti determinato, sed in hoc vel in alio eandem conclusionem probo. Ad hoc vt haec propositio *Petrus currit*, in sensu explicato desumpta, vera sit, sufficit Petrum currere in aliquo instanti hoc vel illo, & non ex eo quod non currat in hoc instanti, si currat in illo, erit falsa, quia propositio non affirmat currere in hoc instanti determinato, neque in omnibus, sed hoc, vel illo praesenti, praeterito, vel futuro: sed cum semel constituitur vera illa propositio, supponitur cursus Petri in aliquo instanti: ergo implicat propositionem fieri falsam. Probo consequentiam: cursus ille qui supponebatur in aliquo instanti, non potest in illo non supponi, quia implicat in eodem instanti cursum supponi, & non supponi, esse, & non esse: sed eo ipso quod cursus supponatur in illo instanti, propositio erit vera, & non falsa: ergo postquam semel fuit constituta vera, & cursus in aliquo instanti fuit suppositus, implicat non esse veram. Dices propositionem significare cursum in instanti praesenti, & ita propositionem fieri falsam, quia iam non supponitur cursus Petri in aliquo instanti praesenti, sed instanti futuro, quod non sufficit ad verificationem propositionis. Multi hic offendunt: dicere instantis praesens abstrahens ab hoc praesenti vt distinctum à praeterito & futuro est manifesta terminorum implicatio, quia quod non est hoc instans determinatum, est praeteritum, aut futurum: non enim sunt plura instantia simul praesentia, sed vnum praesens, & reliqua vel praeterita, vel futura. Ex quo fit actum significare aliquid instans praesens abstrahens ab hoc, vel ab illo, idem esse ac significare instans praesens, praeteritum, vel futurum, quae omnia praesentia dicuntur, quia instans quod est modò futurum aliquando erit praesens, & quod est iam praeteritum, aliquando fuit praesens, ac proinde cursus futurus in instanti venturo dicitur respondens alicui instanti praesentis, non quod modò sit, sed quod postea erit praesens, & modò futurum est. Ex hac doctrina ruit tota solutio, quia propositio, quae significat cursum existentem non in hoc numero instanti praesenti, sed in aliquo abstrahente ab hoc, vel ab illo, significat cursum praesentem, praeteritum vel futurum, qui respectu alicuius mensurae praesens dicitur, ac proinde eo ipso quod supponatur cursus in instanti praeterito, praesenti vel futuro, propositio per ordinem ad illud instans vera formaliter constituitur.

4 Similis fit argumentatio ad probandum propositionem illam non posse transire de falsa in veram, quia ad hoc vt propositio, quae significat Petrum currere in aliquo instanti, & non praecise in hoc determinato, sit falsa, requiritur Petrum in nullo instanti currere, neque in instanti praeterito, neque praesenti, neque futuro: sed ex suppositione quod in nullo instanti currat, implicat currere in aliquo instanti: ergo ex suppositione quod propositio sit falsa implicat in aliquo instanti fieri veram, quia implicat cursum Petri in aliquo instanti futuro, per quem veritas propositionis constituenda est.

1 3 De

4 Demum si propositio hæc *Petrus currit* significet Petrum currere non solum in hoc instanti determinato mihi præfenti, sed etiam in omnibus instantibus, quæ successiue mihi erunt præsentia, ad hoc ut semel constitutur vera, requiritur ut Petrus supponatur currere non solum in hoc instanti, sed etiam in omnibus vterioribus, ita ut si in aliquo cursurus non sit, etiam si in isto currat, etiam in isto erit falsa; ergo supposita veritate propositionis in hoc sensu desumptæ implicat Petrum in aliquo instanti non currere: ergo implicat propositionem fieri falsam, ex eo quod in aliquo instanti non currat. Similiter ad hoc ut illa propositio sit falsa, debet supponi Petrum in aliquo instanti non currere: sed currere in omni instanti, & in aliquo non currere sunt contradictoria: ergo implicat supposita falsitate propositionis ipsam fieri veram, ex eo quod Petrus in omni instanti currat.

5 Vniuersaliter de omni propositione quæcumque illa sit, efficacissimè probo ratione, quam non habebam expertus sum. Ad hoc ut propositio in hoc instanti sit vera, debet supponi illius obiectum non solum in hoc instanti, sed etiam in omni tempore importato per copulam, eo modo quo per copulam importatur: sed eo ipso quod in hoc instanti supponitur obiectum propositionis existens in omni tempore importato per copulam, implicat postea in aliquo tempore importato per copulam non existere: ergo implicat postea propositionem fieri falsam. Maiorem probo: ad hoc ut hæc propositio, *Petrus semper currit*, in hoc instanti sit vera non sufficit Petrum currere in hoc instanti, sed sufficit in omni instanti currere, ratio à priori facilis est. Veritas consistit in confirmatione actus cum toto obiecto significato: ergo ad hoc ut propositio sit vera in hoc instanti, debet in hoc instanti conformari cum toto obiecto significato, ergo si obiectum significatum dicit durationem non solum præsentem, sed præteritam & futuram, debet propositio conformari cum obiecto quatenus dicit durationem, non solum præsentem, sed etiam præteritam & futuram. Minor est per se nota, quia implicat supponi in hoc instanti obiectum futurum in instanti venturo, & postea in illo non existere. Consequentia est legitima. Tantum potest vis illationis declinari distinguendo maiorem. Ad hoc ut propositio in hoc instanti sit vera debet supponi obiectum existens omni tempore importato per copulam in hoc instanti, hoc est omni tempore, quod copula importat in hoc instanti, concedo; omni tempore importato per copulam in alio instanti, seu tempore quod copula existens in alio instanti importat, nego quia veritas existens in hoc instanti tantum petit existentiam obiecti quam copula in hoc instanti importat, non verò existentiam, quam eadem copula in alio instanti sequenti importabit. Contra: veritas in hoc instanti dicit existentiam obiecti in omni tempore, quod copula in hoc instanti existens importat: ergo dicit existentiam obiecti in omni tempore quod importat copula existens in alio quocumque vteriori instanti. Probo consequentiā: copula illud tempus importat quod significat: sed copula huius propositionis *Petrus currit*, in quocumque instanti existat, habet eandem significationem: ergo significat idem tempus: ergo importat idem tempus: ergo non distinguitur tempus importatum per copulam existentem in hoc instanti à tempore importato per copulam existentem in instantibus sequentibus: ergo implicat supponi in hoc instanti tempus, quod importat copula existens in hoc instanti, & non supponi in eodem instanti tempus quod eadem copula existens in aliis instantibus importat. Copulam importare in quocumque instanti, tempus quod in illo significat, nullus negabit, tantum probandum est, ut prædictus discursus legitime concludat, copulam in omni tempore habere eandem significationem, & significare, seu importare in quocumque existat instanti, idem tempus, quod sic probo. Actus iudicii, seu propositio mentalis est formaliter representatio per suammet entitatem, non per durationem superadditam, seu extrinsecam correspondentiam ad spatium imaginarium, ergo dum eadem entitas perseverat, siue hanc vel illam durationem seu correspondentiam habeat ad spatium imaginarium, habet eandem significationem: ergo importat idem tempus. Attentè rationem hanc inspicias, quæ semper mihi magni ponderis viâ est.

6 Debeo recentiori huic Complutenfi hoc argumentum *Præd. 1. part.* non contempsisse, eo solum, quia illud commendo, ut ipse

testatur. Ego tamen solutionem ab eo datam contemne-
re non potero, quia neque illius speciem agnosco. Videat
mus, quæ dat verba, in quibus solutionem esse præsumit.
Afferit maiorem, & minorem concedendas esse, & con-
sequens negandum. Ad illius probationem respondet, ta-
conuinci, copulam semper habere eandem significationem
formalem, non tamen habere eandem verificationem ma-
terialem, vade, quod est præfens nunc postea non est præ-
fens, sed præteritum, vnde cum propositio non perseveret
importando, & consignificando tempus præfens, si pro illo
non perseveret obiectum in eodem statu transit propositio
intrinsecè commutata de vera in falsam propter ex-
trinsecè varietatem.

Nec verbum est, quod vim illationis imminuat, maiori,
& minori admissa, argumentum instauror, ut propositio sit
vera debet obiectum supponi existens omni tempore im-
portato per copulam, sed eo ipso quod in hoc instanti, in
quo propositio verificatur obiectum existens omni tem-
pore importato per copulam implicat aliquo tempore im-
portato per copulam non existere: ergo implicat propositio-
nem falsificari. Maiorem, & minorem concedit iste,
cum quo ago, & consequentiā negat, quam ostendo ex præ-
missis inuitabiliter deduci. Ut propositio falsificetur,
necesse erat obiectum non existere aliquo tempore im-
portato per copulam. Sed hoc implicat si semel fuit ve-
rificata: ergo implicat falsificari. Maior est per se nota, et
eo enim formalissimè falsificatur propositio, quod non
existat illius obiectum. Minorem probo, ut propositio in
hoc instanti sit vera debet illius obiectum supponi existens
non solum in hoc instanti, sed omni tempore importato
per copulam, quod iste admittat, ergo si in hoc instanti est
vera, supponitur obiectum propositionis existens omni
tempore importato per copulam. Citra controversiam il-
latio est legitima, sed eo ipso quod obiectum supponitur
existens omni tempore importato per copulam non po-
test non existere aliquo tempore importato per copulam,
ut admittit iste, & est per se notum iuxta vulgare illud,
omne, quod est ex suppositione, quod sit, necesse est esse:
ergo non potest tempore aliquo propositio falsificari, quia
ut in aliquo falsificaretur necesse erat, ut tempus illud
importaretur per copulam, & ut in illo obiectum
existeret.

Nullum restabat effugium, nisi asserere, copulam in hoc
instanti importare hoc tempus, & in alio instanti aliud
tempus importare. Hoc præclausi dum asserui, propositio-
nem semper retinere eandem significationem, ac proinde
semper significare, seu consignificare, vel connotare idem
tempus, non enim potest variari consignificatio, seu con-
notatio temporis, nisi varietur significatio propositionis
internæ, quod implicat, quia interna propositio est concep-
tus formalis mentis, qui per se ipsum habet hanc signi-
ficationem, quam variare non potest, quolibet extrin-
seco variato dum idem formalis conceptus perseveret.

Quod adducit hic author, videlicet significationem, &
verificationem propositionis distinguui est certum, eadem
enim propositioni verificatiua diuersa possunt contingere,
dum enim ego dico. Aliquis homo currit corrente Petro
cursus Petri est verificatiuum huius propositionis, quod si
Petrus non curreret, sed Ioannes verificatiuum propositio-
nis non esset cursus Petri, sed cursus Ioannis. Itaque
non nego eandem propositionem retinentem eandem si-
gnificationem indifferentem esse ad hanc, vel illam veri-
ficationem, & ad verificationem, vel falsificationem, nego
tamen propositionem, quæ semel habet in hoc instanti
hanc verificationem, seu hoc verificatiuum posse in aliquo
alio instanti eo verificatiuo carere, aut falsificatiuum illi
contingere ex suppositione, quod verificatiuum aliquando
habuerit, quod ratio adducta conuincit.

Aliter facilius responderi dicit recens iste his verbis. 10
Im, licet postea fieri falsam propositionem, quando ratio-
ne materiæ vel alius termini ampliantis immutabilis
est obiectum propositionis concedo; quando materiæ est
contingens, & propositio manet sine implicatione, vel re-
strictione impediens mutationem obiecti nego. No-
tat insuper, se non asserere propositiones necessarias, aut
illas, quæ significant tempus determinatum, veluti hæc Pe-
trus semper currit, Petrus in hoc instanti A, currit, posse
transire de veritate in falsitatem, sed de illis tantum, quorum
subiectum restrictionem, vel ampliationem recipiunt. De
his tantum propositionibus questionem procedere iam
ego

ego notaueram de aliis disputo, respectu quorum meum procedit argumentum, cui prædicta distinctio non satisficit, in ea enim non solutio, sed conclusio, quam impugno expressio, seu repetitio continetur: contra illam procedit meum argumentum, cuius vis in eo sita est, quod & si subiectum propositionis possit ampliari, prima verificatio illius sumitur attenta omni ampliatione, cuius est capax propositio, ac proinde si in hoc instanti est vera, in sequenti, in quo propositio non cum alia implicatione, seu restrictione subiectum desumi potest, non poterit habere eandem veritatem.

§. II.

Satisfit argumentis.

11 **O**biicies primò. Hæc propositio qua ego dico *Petrus currit nunc*, Petro currente in hoc instanti A, in quo illam profero est vera, postea verò cum præterit instans A, & successit instans B, in qua Petrus qui currebat in instanti præcedenti, iam sedet, est falsa: ergo potest propositio transire de vera in falsam. Respondeo hanc propositionem, qua ego dico *Petrus currit nunc* videlicet in instanti A, currente Petro in illo instanti veram esse in instanti sequenti, etiam si in illo Petrus non currat, quia sicut in præcedenti instanti A, significat Petrum currentem in instanti A, & non in instanti B, sic in instanti B, significat Petrum currentem in instanti A, & non in instanti B, & eandem veritatem habet. Itaque propositio illa mentalis quam ego in instanti A, his verbis significo *Petrus currit*, significanda est in instanti B, non eisdem verbis sed aliis, his videlicet *Petrus currit*. Ratio est quia eadem verba externa cum non significant ex sua natura sed ex libera hominum impositione, possunt diuersam habere significationem, & illam de facto habent, cum diuersis circumstantiis profertur, itaque idem verbum nunc modò prolacum significat hoc instans A, determinatum, quod significat conceptus cui correspondet: si verò tempore sequenti idem conceptus internus, & eadem vox externa repetatur, conceptus internus eandem significationem retinebit, & ad idem instans A, quod iam est præteritum, & cum primum conceptus ille fuit elicitus, erat præsens tanquam obiectum representatum respiciet: vox verò externa iam non significabit instans A, quod antea significabat, & quod iam est præteritum, sed illud instans, quod tunc fuerit actu existens, videlicet instans C, vel instans D, succedens mediare vel immediate post instans A, ac proinde vox illa *nunc*, quæ correspondebat conceptui interno in primo instanti, in quo fuit elicitus, in secundo illi non correspondet, quia vox significationem mutauit & conceptus eandem retinuit.

12 **O**biicies secundò. Hæc propositio interna *aliquis homo currit*, indifferens est ut significet Petrum, vel Ioannem currentem: ex enim non magis significat Petrum, quam Ioannem: ergo eadem propositio mentalis potest esse indifferens ad diuersas significationes pro diuersis temporibus: ergo potest in hoc instanti ratione huius significationis habere veritatem, & in alio ratione alius significationis falsitatem habere. Respondeo hanc propositionem *aliquis homo currit*, & reliquis similes non esse indifferentes ad diuersas significationes, sed tantum esse indifferentes antecederet ad diuersas verificationes: cum enim ego dico *aliquis homo currit*, & de facto currit Petrus, verificatur de Petro; & si curreret Ioannes, & non Petrus, verificaretur de Ioanne, & non de Petro, semper tamen eodem modo Petrum & Ioannem significat sub disunctione inter se, & cum aliis hominibus, quia etiam si Petrus currat cum ego dico *aliquis homo currit*, non dico determinatè Petrum currere, sed currere Petrum, Ioannem, vel Franciscum, &c.

13 **O**biicies tertio. Eadem lex inuariata potest modò hos homines obligare, & postea non hos sed illos, ut cum fertur lex obligans omnes habitatores huius populi eo ipso, quod quis acquirat domicilium in hoc populo, lege tenetur; quod si idem homo amittat, lege non tenebitur: ergo similiter eadem propositio poterit habere diuersam significationem, & propositio quæ significat omnes habitatores huius populi, significabit Ioannem dum huius populi sit habitator, quem postea non significabit, si populi desinat esse habitator. Respondeo legem semper respicere eadem sub-

iecta & in actu primo semper eadem subiecta quatenus est ex se obligare, licet in actu secundo obliget modò hæc subiecta, modò illa, sicut explicabat obiectio: similiter propositio semper significat eadem subiecta, licet modò verificetur de his, modò de illis; sicut propositio quæ asserit, *omnes habitatores huius populi sunt nobiles*: siue Petrus siue Ioannes sit habitator, & non Franciscus, propositio ex se non magis significat Petrum vel Ioannem habitatorem, quam Franciscum non habitatorem populi, licet verificetur respectu Petri & non respectu Francisci, quia ex se propositio tantum dicit *habitatores huius populi*, quicumque illi sint, de quo abstrahit, *nobiles sunt*, sicut dicebam de propositione illa *aliquis homo currit*, quæ eandem significationem habet currente Petro, vel Ioanne, vel etiam nullo currente, licet non eadem verificatione gaudeat. Idem contingit in lege prædicta, quæ ex se & in actu primo non magis obligat Petrum huius loci habitatorem, quam Ioannem non habitatorem, sed pro omnibus ex suppositione quod sint habitatores, posita est, & vim habet obligandi omnes prædicta suppositione facta, licet in actu secundo obliget Petrum, & non Ioannem, quia Petrus, & non Ioannes huius loci habitator est factus.

14 **O**biicies quarto. Hæc propositio, *Omnes qui sunt in foro currunt*, si sunt in foro Petrus, & Ioannes, significat utrumque currentem; si sint Franciscus & Antonius, hos, & non illos currentes significat: ergo eadem mentalis propositio potest habere diuersas significationes. Respondet Ariag. disput. 14. sect. 2. num. 59. illam propositionem semper significare omnes homines sed conditionatè, id est, si Petrus est in foro, currunt: si Franciscus est in foro, currunt, & sic de aliis. Non placet solutio, quia si illa propositio esset conditionalis nullo existente in foro posset esse vera, quia conditionalis non fit falsa ex eo quod illius conditio verificata non sit; conditionalis enim ut vulgo dicitur, nihil ponit in esse: nullus autem negabit nullo in foro existente, hanc propositionem esse falsam, *omnes qui sunt in foro currunt*: non enim tunc supponit illius subiectum, seu non existit subiectum, quod supponit propositio. Melius responderetur illam propositionem his duobus æquivalere: *Aliqui homines sunt in foro; & hi quicumque illi sunt, currunt*, quorum verificatio diuersa poterit esse pro diuersitate hominū, qui in foro esse possunt: significatio tamen semper eadem est, ut dicebam de illa propositione, *aliquis homo currit*.

15 **O**biicies quinto. Hæc propositio mentalis *Petrus currit nunc*, producta in instanti A, quod significat, potuit produci in instanti B, & tunc significaret instans B: ergo eadem propositio potest habere diuersa significata. Respondeo illam propositionem mentalem potuisse produci in instanti B, nego tamen in illo productam significaturam instans B, semper enim eadem propositio eandem retinet significationem, ac proinde in quocunque tempore producat propositio semper significabit instans A, & ita si producat in instanti B, non est exprimenda his vocibus, *Petrus currit nunc*, sed *Petrus currit* ut supra dicebam.

16 **O**biicies sexto. Hæc propositio *modò incipio loqui*: est vera in instanti, in quo illam proferre incipio, & falsa in aliis sequentibus: ergo eadem propositio potest transire de vera in falsam. Respondeo in omni tempore propositionem illam esse veram quia semper significat me incipere loqui non in omni tempore quo propositionem profero, sed in primo instanti, quo illam proferre incepi: quod si significaret me loqui incipere in omni tempore, quo illam profero, etiam in primo instanti esset falsa, quia semper eandem significationem haberet. Aduerte pleraque argumenta ex relatis probare eandem propositionem potuisse antecederet habere diuersas significationes, quod negavi, quia falsum est, verum tamen etiam si admittatur, dum non concedatur posse eandem propositionem relictà hac significatione in aliam transire, nihil oberit conclusioni, quam defendendam suscepimus, videlicet non posse eandem propositionem de vera in falsam transire.

17 Rursus arguunt nonnulli. Hic actus Petrus est possibilis, per suam entitatem habet representare Petrum possibilem, & non Chymæram: ergo per suam essentiam habet Petrum possibilem distingui à Chymæra: ergo per suam essentiam habet Petrum esse possibilem, quia nihil aliud est Petrum esse possibilem, quam esse distinctum à Chymæra.

19 Hoc argumentum parum, aut nihil differt ab argumento tertio, quod iam solui, & tantum innititur pura verborum æquiuocatione. Respondeo, hanc actum Petrus esse possibilem habere per suam essentiam representare Petrum possibilem, qui est distinctus ab omni Chymæra quæ modo est, quia ipse non est Chymæra, habere etiam per suam essentiam non esse representatiuum alicuius Chymære distinctæ à Petro, & habere per suam essentiam representare Petrum, ut possibilem, seu representare Petrum esse possibilem, non tamen habere per suam essentiam, Petrum esse possibilem, neque non esse Chymæram, nam etiam si Petrus, qui ex vi huius actus representatur, ut possibilis Chymæricus esset, eodem modo ex vi eiusdem actus eodem prorsus modo representaretur ut possibilis. Unde non habet talis actus per suam essentiam eius obiectum Chymæram non esse, ac proinde neque absolute habet per suam essentiam eius obiectum Chymæram non esse, aut esse distinctum à Chymæra, sed tantum habet per suam essentiam representare obiectum, quod sit distinctum ab omni Chymæra, quæ non sit Petrus, siue Petrus, quem ut possibilem representat, in re sit Chymæra, siue vere possibilis ea ratione, quæ representatur.

PUNCTUM III.

An veritas & falsitas suscipiant magis & minus.

1 Aliud est querere, an vna veritas sit magis necessaria alia veritate; aliud, an sit magis vera: certum enim est vnam veritatem esse magis necessariam alia: magis enim necessaria est veritas propositionis quæ affirmat Deum existere, quam veritas propositionis, quæ dico Petrum existere, etsi de facto Petrus existat, quia magis necessaria est existentia Dei, quam existentia Petri, & necessitas obiecti necessitatem veritatis refundit in propositione affirmantem illius existentiam: similiter magis necessaria est falsitas huius propositionis *Deus non existit*, quam huius *Petrus non existit*, existente Petro, quia Deus summè necessariò existit, & ita necessitas, quæ Deus existit, refundit necessitatem falsitatis in propositionem negantem illius existentiam, Petrum verò existere necessarium non est, & ita illius existentia non potest inducere necessitatem falsitatis in propositionem illam negantem. Aliud est, an vna veritas sit maior, hoc est, an detur vnus actus verus, qui magis conformetur cum suo obiecto, quam conformetur alius verus actus cum proprio obiecto.

2 Dico 1. Veritas omnis consistit in indiuisibili, & omni-modæ conformatione actus cum obiecto, & ita non potest dari vna veritas maior alia, neque vnus actus verus magis conformis cum proprio obiecto, quam actus similiter verus cum proprio obiecto, quod ille alius actus respicit. Probo hanc conclusionem. Ad hoc vt actus si verus debet esse ex parte obiecti quidquid representatur per actum, ita vt quidquid deficiat in obiecto, quod in actu affirmatur, actus omnino verus non sit, ergo eo ipso quod actus sit verus se tenet ex parte obiecti, quidquid representatur per actum; ergo non potest dari maior alia conformatio inter actum, & obiectum: Probo consequentiam. Nihil quod non representatur per actum potest conducere ad conformationem actus cum obiecto: omne quod representatur iam supponitur eo ipso quod actus sit verus: ergo eo ipso quod actus sit verus supponitur quidquid potest conducere ad conformationem ipsius cum obiecto: ergo ex nullo capite potest excogitari maior conformitas. Dices, hoc argumentum concludere non posse dari maiorem conformitatem inter hunc actum, & obiectum, non verò conuincere non posse dari aliam maiorem conformitatem inter alium actum cum proprio illius obiecto. Contrà: Conformitas cuiusvis actus cum suo obiecto in eo consistit, quod existat totum, quod ex vi actus affirmatur eo modo, quo affirmatur: ergo eo ipso quod existat totum quod representatur per actum eo modo, quo representatur, habet summam conformitatem, quam potest habere quilibet actus, conformitas enim non consistit in eo quod extremum conforme sit maius aut minus, sed in eo quod iustus adæquatur cum obiecto, ut patet in æqualitate, quæ est in quantitativis; non enim est magis æqualis vna vlnæ, quam palmus palmo, sed eo ipso quod actus sit verus, existit ex parte obiecti totum, quod representatur per actum omni modo, quo per illum

representatur: ergo actus habet omnimodam adæquationem, quæ nulla maior excogitari potest.

Dixere nonnulli hunc actum, *Petrus est homo*, magis conformari cum suo obiecto, quam hunc *Petrus est animal*, quia primus ille actus dicit totam essentiam subiecti, & alter secundus tantum dicit partem illius videlicet prædicatum animalis, ac proinde actus primus magis adæquatur cum obiecto existente à parte rei, quam secundus. Non assertor: veritas non consistit in conformatione actus cum toto illo quod existit à parte rei, sed in conformatione representationis seu rei ut representatæ, cum eadem ut existente, ex quo sit æqualem confirmationem habere cum obiecto hos duos actus *Petrus est animal*; *Petrus est homo*; quia primus ille actus tantum esse representatio animalis, seu tantum dicit Petrum esse animal, ac proinde summa illius adæquatio consistit in eo, quod Petrus sit animal, neque ex eo quod non adæquatur cum rationali, minor erit illius adæquatio, quia actus non habet minorem adæquationem ex eo quod non adæquatur cum obiecto, quod non representat, seu quod non affirmat: sed actus ille non affirmat Petrum esse rationalem: ergo ex eo quod non adæquatur cum rationali non habebit minorem adæquationem. Idem manifestè explicabit exemplum. Affirmo ego D. Petrum, esse beatum: tu affirmas D. Petrum, & D. Ioannem esse beatos: uterque actus æquè conformis est cum suo obiecto, quia licet secundus conformetur cum D. Petro, & D. Ioanne beatis, & primus cum Diuo Petro tantum, secundus plus affirmat quam primus, & ita debet adæquari cum pluri obiecto, ut illius adæquatio sit æqualis cum adæquatione, quam habet actus ille, qui minus respicit obiectum, cum suo minori obiecto. Sicuti vlnæ quantitas cum maiori quantitate debet adæquari, quam palmaris, ut habeat adæquationem æqualem. Sic contingit in his actibus, quorum vnus plura prædicata respicit quam alius ex parte obiecti, & ita cum pluribus debet æquari, ut habeat adæquationem æqualem cum illa, quam habet actus, qui tantum respicit animalis prædicatum. Occurres, animal, & rationale indifferenciari, ac proinde non rectè conformari cum obiecto actum, qui conformatur cum animalis, & non cum rationali: ex quo desumitur disparitas exempli quod adduximus. Contrà: etiam si animal & rationale indifferenciari, actus valet representare animal & non rationale, siue hoc sit per præcisionem ex parte actus, siue ex parte obiecti, nolo enim questionem dependere ex modo præscindendi, quem habet intellectus: ergo ad sui perfectissimam veritatem tantum debet conformari cum animalis, & non cum rationali, quia ut iam dixi, veritas consistit in conformatione obiecti ut representati cum ipso ut existenti, seu in hoc quod nihil representetur per actum, quod non sit extra actum eo modo, quo representatur.

Dico secundò. Circa obiectum indiuisibile non potest dari falsitas maior alia. Ratio est: quia obiectum indiuisibile eo ipso quod disconformetur cum actu, disconformatur secundum se totum: ergo habet totā disconformationem, quam potest habere, neque aliis minoris est capax. Talis erit actus, quo quis dicat Michælem non existere, cuius falsitas augeri nequit, quia consistit per existentiam Michælis, quæ indiuisibilis est: neque existentiā Michælis, aut negatio eiusdem possunt suscipere magis, aut minus.

Dico tertio. Actus circa obiecta diuisibilia, possunt plus, minusve falsitatis habere, v.g. actus quo ego dico, viginti homines currere, quia hic actus potest magis vel minus disconformari cum obiecto: Si enim nullus homo currat, disconformabitur secundum omnes viginti homines, quos currere affirmat; si verò currant decem & nouem, secundum vnum hominem tantum disconformabitur: ergo minorem habebit disconformitatem decem & nouem currentibus, quam vno tantum currente: ergo minorem falsitatem. Confirmatur: actum disconformari est recedere obiectum ut representatum ab ipso ut existente, sed quando affirmat actus viginti homines currere nullo currente, recedit secundum omnes viginti; quando idem affirmat, decem & nouem currentibus, recedit secundum vnum tantum hominem: ergo maior est recessus, quem habet obiectum ut representatum per talem actum, currente vno homine, quam decem & nouem currentibus: ergo maior falsitas. Rem explicat in æqualitatis exemplum: licet enim hoc lignum non possit esse magis minusve æquale alij, potest esse magis in æquale, quia potest aliud magis excedere, vel magis excedi ab illo.

Obiiciat.

6 Obiicies. Actus quo ego dico, viginti homines currunt, æquè non est verus si nullus currat, siue currant decem & nouem, dummodò viginti non currant, ergo est æquè falsus. Resp. actum in vtroque casu esse æquè non verum, quia nihil veritatis habet in vtroque casu; & esse æquè falsum essentialiter, hoc est denominari à falsitate, quæ æquè participat essentiam, & prædicata essentialia falsitatis, ac alia sicuti æquè participat rationem albedinis, albedo vt duo, & albedo vt octo, non tamen æquè esse falsum intensiue, quia falsitas actus intensior est nullo currente, ex eo quod se extendat circa plura obiecta disconformia, quorū disconformitas, quæ in ipsis est extensiuā vt pote diuersorum obiectorum, in actu est intensiua, quia quilibet gradus actus afficitur intensiue cum tota illa disconformitate, quæ est extensiuè in omnibus obiectis inadæquatis.

PUNCTUM IV.

An veritas & falsitas reperitur in simplici apprehensione.

1 Veritatem & falsitatem propriam, & strictam, qua quis dicitur propriè aliquid scire, seu propriè falli circa aliquod obiectum, tantum reperiri in actu iudicii, est certum apud omnes, qui tantum dubitant, an veritas & falsitas quedam impropria & inchoata in apprehensione reperitur. Dicendum est in apprehensione simplici subiecti, vel prædicati per modum vnius tantum simplicis entitatis, quam apprehensionem simplicem, & non cōpositam vocamus, non posse reperiri falsitatem. Ita P. Vasquez 1. p. c. 1. disp. 75. c. 3. & cum illo Hurtad. disp. 9. de anima, sect. 2. & Arriaga, disp. 14. Logica, sect. 4. Ratio est manifesta: apprehensio vel representat formalitatem realem, vel fictam: si realem, non disconformatur obiectum cum apprehensione fictam, cum non habeat aliud obiectum præter fictum, nullum est obiectum representatum ex vi illius cognitionis, quod aliter se habeat à parte rei, ac in representatione illa, quia nullum obiectum existens à parte rei est representatum ex vi illius apprehensionis. Dices illud obiectum fictum disconformati à parte rei cum ipso vt existente in intellectu. Contra: Illa apprehensio non apprehendit illud obiectum existere à parte rei, aliàs non esset simplex, de qua loquimur, sed composita: ergo ex eo quod illud obiectum fictum per intellectum à parte rei non existat non disconformatur cum ipso vt apprehensio, ergo ex nullo capite potest dici obiectum fictum disconforme simplici apprehensioni.

2 Difficultas est, an hæ apprehensiones habeant veritatem. Negat P. Vasquez suprà, vbi asserit quæstionem esse de nomine. Asserunt Hurtadus & Arriaga suprà. Ego cum distinctione respondeo, apprehensionem circa obiectum reale hanc habere veritatem inchoatam, seu imperfectam; ratio est, quia ego apprehendo hominem, & talis homo est existens à parte rei, ergo obiectum vt apprehensum habet conformitatem cum ipso vt existente, & de facto existit id, quod apprehenditur, in quo conformatio quædam reperitur inter apprehensionem & obiectum. Quando obiectum simplicis apprehensionis est ens fictum, existimo in apprehensione nullam reperiri veritatem. Ratio est quia obiectum fictitium sic apprehensum non se habet extra apprehensionem, cum nullum esse habeat extra illam, eo modo quo se habet in apprehensione, seu in esse apprehensio: ergo nullam potest habere veritatem. Probo consequentiam. Veritas consistit in conformitate obiecti, vt existentis in intellectu cum ipso vt existente extra intellectum; ergo obiectum, quod non est extra intellectum, non potest habere conformitatem requisitam ad veritatem.

3 Ratio hæc, Hurtadi fundamentum omnino euertit, quo probare intendit apprehensionem entis ficti esse veram, quia illud fictum verè representat, quæ ratio nullius est momenti, quia iudicium falsum verè, hoc est, propriè, & non metaphoricè representat suum obiectum; & nihilominus veritatem non habet, aliàs omnis actus intellectus verus esset, neque in alio sensu potest illa simplex apprehensio dici verè representare. Arguit secundò: Veritas est conformatio actus cum obiecto, sed illa apprehensio habet conformitatem cum obiecto: ergo est vera. Resp. distinguendo maiore: veritas est cōformatio actus cum obiecto: vt est in intellectu tantum, nego: cum obiecto, vt est extra

intellectum, concedo. Sed illa simplex apprehensio habet conformitatem cum obiecto: distinguo eodem modo: cum obiecto vt existenti in intellectu, transeat minor: cuius suppositum negandum esset, quia non est conformatio cognitionis cum obiecto formaliter vt inclusio in cognitione: habet conformitatem cum obiecto, vt existente extra cognitionem: nego minorem: ergo habet veritatem, nego consequentiam.

4 Obiicies sequi ex hac doctrina iudicium hoc, *chimæra est ens rationis*, non esse verum, quia illius obiectum nullum esse habet extra intellectum, quod possit conformari cum formali iudicio. Respondeo negando sequelam, quia iudicium hoc est quedam cognitio reflexa, quæ supponit chimæram actualem vel possibilem habentem esse extra ipsam. Vnde, ad probationem respondeo. Chimæra nullū habet esse extra hoc iudicium, quo dicimus, *chimæra est ens rationis*, nego: extra omnem cognitionem etiam distinctam ab hoc iudicio, concedo, quod sufficit vt possit conformari cum hoc iudicio, quia ipsa quatenus habens esse in cognitione directā conformatur cum cognitione reflexā. Secundò iudicium hoc, *chimæra est ens rationis*, æquiualeat huic: *chimæra repugnat à parte rei*, cuius prædicatum quod affirmatur, est repugnantia, seu impossibilitas chimære, quæ est à parte rei, eo modo, quo sunt negationes aliarum entitatum, videlicet negatiue, verè enim à parte rei est negatio chimære, seu non esse illius, sicuti sunt tenebræ, seu non esse lucis absente luminoso.

5 De apprehensione complexa dicendum existimo includere veritatem, vel falsitatem, siue sit circa obiectum reale, siue rationis. De apprehensione circa obiectum reale probatur. Quando apprehendo totum hoc complexum, *Petrus est homo, vel albedo in niue*, rem apprehendo eo modo, quo est; ergo illa apprehensio habet veritatem. Quando apprehendo hoc complexum, *Petrus est bimaculatus, seu nigredo in niue*, apprehendo obiectum, quod non est, & quod positiue aliter est: ergo apprehendo obiectum disconforme apprehensioni: ergo illa apprehensio habet falsitatem.

6 De ente rationis eodem modo probatur, quia omnis apprehensio complexa entis rationis est cognitio reflexa, quæ supponit illud iam factum per aliam cognitionem: ergo supponit illud capax vel conformitatis, & disconformitatis cum actu, ex vi cuius cognoscatur: quia quidquid habet esse extra hanc cognitionem ad illud terminatam, vel illud habet eo modo, quo representatur per cognitionem, vel alio modo? Si modo representato per cognitionem, erit illi conforme, & cognitio vera: Si alio modo, erit illi disconforme, & falsa cognitio: ergo apprehensio complexa terminata ad ens rationis, quod habet esse extra illam, erit vera, vel falsa.

PUNCTUM V.

An futura absoluta habeant veritatem vel falsitatem.

1 DE futuris necessariis nulla est inter Autores difficultas, sed tantum de liberis, de quibus late disputant Theologi 1. part. quæst. 14. de scientia Dei, nos hic nonnulla probabimus, ex his quæ Theologi nostri penitus euacuant.

§. I.

Præsentia rerum in æternitate abigitur.

2 Ensam Thomistarum agmen existimans futura libera nullam in se veritatem obiectiuam habere, præsentiam quandam in æternitate ex æternitate illis impingere, à qua dicunt omnia futura ab æterno esse præsentia in æternitate, æternitatiq; coexistere. Sententiam hanc problematice defendit Richard. in 1. dist. 8. quæst. 3. aliàs 5. Capreol. ibid. dist. 36. quæst. 1. art. 2. conclus. 1. & 2. quæstionem hanc tetigit, tamen ausus non est assertiue præsentiam tradere. Successit Caietanus qui in quæst. 14. art. 1. sine formæ diæ dari præsentiam illam asseruit, seque illius assertorem esse iactat. Caietanum gregatim sequuti sunt Ferr. Bañez, Zumel, Nauarrus, Ledesma, Aluar. Gonzalez. & alij quos apud nostrum Ruizium t. de scientia Dei, disp. 28. sect. 3. citatos reperies.

Oppositam

2

1.

4

2

9

7

nitari: sed aternitas est tota simul; ergo correspondent toti aternitati. Rursus: aternitas est infinita complectens omnes temporis differentias per suam essentiam: sed est ab aeterno: ergo ab aeterno complectitur omnes temporis differentias: ergo ab aeterno sunt illi praesentes omnes temporis differentiae: ergo ab aeterno illi coexistunt. Hoc vnum fundamentum male deceptit Thomistas, quod facile corruiere videbunt si mecum notent. Aternitas Dei est duplex, quaedam intrinseca Deo identificata cum ipsa, indiuisibilis, & tota simul, quia nihil intrinsecum Dei diuisibile est, neque successiue potest existere. Alia est extrinseca Deo, quae praeter suam entitatem dicit correspondentiam ad tempus extrinsecum successiue fluens, & coexistentiam cum hoc tempore extrinsecum, quam extrinsecam esse sic probat. Coexistentia Dei cum tempore extrinsecum dicit extrinsecam Dei, & existentiam temporis extrinseci: sed existentia temporis est extrinseca Deo: ergo illius coexistentia ratione huius extremi extrinseca erit Deo. Similiter aternitas intrinseca Dei permanens est, ut iam dixi, aternitas autem extrinseca, seu coexistentia ad tempus extrinsecum necessarii est successiua. Ratio praesto adest: non potest existere coexistentia ad tempus nisi in ea mensura, in qua existit tempus, sed tempus, non existit simul, sed successiue & non simul existit: ergo. Ex hac doctrina facile respondeo: Creatura coexistit aternitati intrinsecae, concedo maiorem: coexistit aternitati extrinsecae, nego maiorem: seu subdistinguo: coexistit toti aternitati extrinsecae, nego maiorem: coexistit tempori determinato inclusio in aternitate extrinseca, concedo maiorem. Sed aternitas est tota simul, distinguo maiorem aternitas intrinseca concedo maiorem: extrinsecae, nego maiorem. Ergo creatura, seu futurum coexistit toti aternitati: distinguo consequens: toti aternitati extrinsecae, nego consequentiam: toti aternitati intrinsecae, subdistinguo: coexistit toti aternitati intrinsecae in sua differentia temporis, in qua existit concedo consequentiam: coexistit toti aternitati intrinsecae ab aeterno, nego consequentiam. Rem tene: Ego modo existens coexistit toti Deo, quia totus Deus modo existit, & ita coexistit toti aternitati intrinsecae Dei, quae ab ipso Deo non distinguitur: Antequam esset productus non coexistebat Deo, sicuti neque coexistam, cum desinam esse, non ex defectu existentiae Dei, sed ex defectu propriae existentiae. Idemmodum existens non possum in hoc instanti coexistere toti aternitati extrinsecae Dei, quia nunc non est tota aternitas extrinseca Dei, quae essentialiter dicit: totum tempus successiue fluens, quod modo non existit, sed tantum vnum indiuisibile ad illud spectans. Ad confirmationem dico aternitatem intrinsecam Dei in actu secundo non coexistere rebus creatis per suam essentiam, quia eadem esset aternitas intrinseca Dei, etiam si ego nunquam existerem, & tamen casu quo ego non existerem, non mihi coexistere: sed illi coexistit per suam essentiam, seu existentiam, quae sunt, idem & per existentiam creaturae: coexistere enim vt sepe dixi, est vtrumque extremum existere, quod non fit per essentiam vnius extremi, sed per vtrumque existentias. Hoc vnum habet aternitas Dei per suam essentiam, videlicet talis esse naturae, vt implicet aliquid creatum existere, quin illi talis aternitas coexistat: ex se enim habet Deus essentialiter non posse non esse praesentem alicui creaturae existenti, eo ipso quod existat, quia supposita existentia creaturae quae essentialiter requiritur, vt Deus illi coexistat, ratione existentiae Dei coexistentia deficere non potest, quia existentia Dei est summe necessaria, nullo durationis termino circumscripta. De mente S. Thomae lae nostri Theologi supra citati, qui cum nobilissimis & antiquioribus discipulis D. Thomae, sanctum Doctorem ab hac impostura defendunt.

§. II.

Prasentia Dei de futuris liberis cum libertate humana componitur.

8 Aristoteles Perihermen. cap. 8. asseruit propositiones singulares de futuro contingente à Deo cognosci non posse, quia ex istis habet non habere determinatam veritatem, aut falsitatem, sed vagè esse veras vel falsas, ita vt haec propositio *Petrus peccabit cras* neque in se determinatè vera sit, neque falsa, sed vera, vel falsa sub disiunctione.

Aristot. sequutus est Cicero l. 2. de natur. diuina paulò post principiū, in quem illa satis repetita, iure semper repetenda D. August. verba, lib. 5. de ciuitate Dei c. 5. *Ubi homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Ex his fontibus venenata pocula hauserunt Simon Magus & Manichæi, quorum haereticis his temporibus suscitauit Vviclef. contra quos solidè & eruditè agit Bellarm. lib. 3. & 4. de gratia & arbitrio. Aliqui vindicare ab hoc errore Arist. procurant: sed P. Soar. in opus. lib. 1. de scientia Dei c. 2. n. 11. cum Bonau. Greg. & Maiore, Arist. turpiter errasse dicit, consentit P. Valq. t. 1. p. 1. disp. 64. quod acriter propugnat Hurt. disp. 9. de anima sect. 6. subsect. 2.

Fundamentum praedicti erroris hoc est: supposita scientia Dei circa obiectum futurum, obiectum non potest non esse futurum: ergo est necessarium & non liberum: ergo si Deus cognoscit Petrum crastina die peccaturum, non potest non peccare, sed necessariò peccat, & ita illius peccatum, seu illius actus ex se peccaminosus liber non erit. Argumentum hoc ita retorqueo: supponamus per impossibile Deum fuisse inscium per totam aternitatem de actu peccaminoso exercendo, vel non exercendo in instanti immediatè sequenti, & argumentor sic: In instanti sequenti, vel erit actus peccaminosus, vel erit illius negatio: pone tibi quod malueris, si dicis futurum esse actum peccaminosum rectè infero: ergo nunc est futurum actus peccaminosi exituri in instanti sequenti, seu nunc verè dicitur actus peccaminosus, futurus est in instanti sequenti, seu actus peccaminosus erit in instanti sequenti, sed supposita in hoc instanti futuritione actus peccaminosi, seu supposito actu peccaminoso futuro in instanti sequenti, implicat in instanti sequenti non existere: ergo in instanti sequenti non est liber talis actus. Hoc argumentum est idem cum illo quod ad tam vesanum errorem traxit oratorum Principem, vt Deo scientiam futurorum liberorum denegaret, quod scientia seclufa eandem retinet fallaciam, quam detegere difficile non est, vt in praesenti materia dissoluatur, & vt praesentia Dei cum nostra libertate facile componatur.

Duplex est necessitas, vna antecessens, altera consequens, necessitas antecessens est quae oritur ex aliquo tenente se ex parte actus primè respectu actus qui dicitur necessarius, seu necessitas, quae oritur ex causa: necessitas, consequens est, quae oritur non ex aliquo praecedenti, neque tenente se ex parte actus primè, seu ex parte causae, sed necessitas quae oritur ex ipso actu secundo seu ex ipsa actione, ipsòve effectu. Haec necessitas non opponitur cum libertate, quia haec communis est cuiusque actui quantumvis libero; quilibet enim actus liber ex suppositione quod fit, non potest non esse, & supposita illius existentia non potest non existere. Necessitas antecessens libertatem destruit, quia non relinquit principium in differens ad operandum, & non operandum: de vtraque necessitate latius Contro. 12. vbi ex professo de natura libertatis disputabo.

Ex his principiis facile argumenta hereticorum dissoluantur. supposita scientia Dei de actu futuro libertatis non potest non existere actus in tempore in quo Deus illum exiturum cognouit: distinguo, non potest non existere actus necessitate consequenti; concedo: necessitate antecessenti, nego: ergo actus non est liber, nego consequentiam: item explicio: non ideo aliquid est futurum, quia Deus cognouit illud esse futurum, sed ideo Deus cognoscit futurum esse quia futurum est, quod eisdem ferè verbis docuit D. Hieronymus in cap. 26. Ieremiae: *Non ex eo quod Deus sciuit futurum aliquid, scilicet futurum est, sed quia futurum est Deus nouit, quasi praescius futurorum.* Ex quo fit scientiam Dei ideo esse connexam cum effectu, quia supponit effectum productum independentem à tali scientia & consequenter totam necessitatem quam inducit praesentia obiecti praui oriri, ex eo quod obiectum prauius supponatur ante ipsam scientiam, necessitas autem, quae oritur ex suppositione ipsius obiecti oritur ex ipso obiecto, & ita non est illi antecessens neque illius potest laedere libertatem.

Obicit. Scientia Dei intrinseca est infallibilis: ergo non solum habet connexionem cum effectu ex eo, quod supponatur futurum. Probo consequentiam: Obiectum quod supponitur futurum potest non esse, v. g. etiam si meus voluntatis actus supponatur futurus crastina die, ego sum potens ad exercendum, vel non exercendum talem actum: ergo si ex alio capite actus non connectitur cum scientia, ego qui possum non habere talè actum, possum scientiam Dei

Dei irritam reddere. Respondeo me posse antecederet ad omnem suppositionem crastina die elicere actum, & non elicere; iam verò supposita futuritione actus, seu ex suppositione quod illum sim elicurus, non posse non elicere illum, & eo ipso quod ex suppositione quod facturus sim actum, non possum non illum facere; ex suppositione quod sit scientia Dei, non possum non facere tale actum, quia suppositio scientiæ Dei inuoluit suppositionem actus futuri, quia scientia Dei essentialiter supponit suum obiectum: ex hoc fit me non posse irritam reddere scientiam Dei, quia ad hoc ut possum adhuc antecederet irritam reddere scientiam Dei, non sufficit me posse utcumque auferre illius obiectum, sed requiritur, ut possum supposita scientia obiectum auferre, & coniungere negationem obiecti cum ipsa scientia: quod nulla potentia possum præstare, quia supposita scientia est iam suppositum obiectum, quo supposito nulla potentia fieri potest ipsum non esse, nulla enim datur potentia ad hoc ut actus, qui est, ex suppositione quod de facto sit, de facto non sit.

13 Obiicit. Ego non possum facere ut non sit scientia Dei, quæ nunc est de meo actu futuro crastina die: sed posita scientia non potest non esse actus, quia non potest neque antecederet coniungi negatio actus cum scientia: ergo non possum facere, ut non sit factus. S. Bonavent. Okam, Greg. Gabr. Cord. Albertus Pighius, quos refert P. Molina l.p. q. 14. disp. 16. & Pater Soar. de absoluta scientia futurorum cap. 2. dicunt scientiam Dei ita contingentem esse ut, modo Deus possit facere ne ipse sciverit, imò ipse homo si non eliciat actum liberum quem tanquam obiectum scientia respicit. Solutionem hanc efficaciter rejiciunt P. Mol. & P. Soar. supra, & P. Didacus Ruiz t. de scientia, disp. 13. sect. 4. quia, ut vulgo dicitur, ad præteritum non datur potentia; neque potest Deus facere non fuisse quod de facto iam fuit, sed scientia quam modo habet Deus de meo actu libero fuit ab æterno: ergo neque Deus, neque ego possumus modo facere, quod ipsa non fuerit, ergo neque quod non sit, quia ex suppositione quod fuerit implicat non esse, quia scientia Dei essentialiter est æterna, & non potest tempore præterito extitisse, & in hoc non durare. Secundo si id quod fuit posset modo non fuisse, nulla esset certitudo de obiecto revelato, quia posset Deus facere quod non fuerit reuelatio, qua ablata obiectum nullam habet certitudinem cum totam illam ex reuelatione mendicaret.

14 Melius respondeo ex suppositione quod sit scientia me non posse facere illam non esse, aut non fuisse, quia si id aliquo modo possem facere, esset auferendo obiectum: sed ex suppositione quod sit scientia supponitur me non ablatum, sed positum effectum, quia suppositione facta implicat illud auferri à me ergo de primo ad ultimum, supposita scientia non possum auferre obiectum. Antecedenter ad scientiam possum facere, & non facere id, quo facto necessario est scientia, & quo non facto implicat scientia de illo ut facta, & necessario est scientia de illo ut non facta, seu de illius negatione, quia antecederet ad omnem scientiam possum modo elicere actum amoris, quo elicitu necessario cognoscitur talis actus ab æterno in hoc instanti futuro, & modo præsens in eodem instanti, ac proinde talis scientia est libera respectu mei non in se ipsa, sed in obiecto.

S. III.

Veritas futurorum liberorum statuitur.

15 Vna est omnium Catholicorum certissima veritas Deum ab æterno futura libera ab æterno cognoscere: vetumtamen non desunt aliqui afferentes propositiones illas in se non habere determinatam veritatem aut falsitatem, quos ego interpretor respectu nostri, quia nos non possumus determinatè cognoscere, an sint veræ vel falsæ, sed tantum cerè scimus esse veras, vel falsas ignorantes, quod illis ex his duobus extremis conueniat.

16 Dicendum est cum Patre Soar. & Patre Vasquez locis supra citatis propositiones has in se habere determinatam veritatem aut falsitatem, ita ut cum ego profero hanc propositionem, *Petrus peccabit*, Deus cognoscit me determinatè verum dicere, aut cognoscit me determinatè dicere falsum. Probatur primò ex cognitione diuina, qua nescit Deus Petrum crastina die peccaturum, & ex reuelationibus prophetarum, qui plura futura libera prædixere, quo-

rum propositiones affirmatiuas dicimus esse veras, quod nullas non totius scripturæ corruptor negabit: ergo similiter propositiones à nobis prolatae de isdem obiectis determinatam veritatem habebunt. Probo consequentiam. Ratio propter quam propositio circa futurum liberum dicitur non posse habere veritatem determinatam, est quia in se determinatum non est, sed hæc ratio non obstat respectu præscientiæ, quam habet Deus de his obiectis, & respectu reuelationum Prophetarum: ergo neque respectu iurisdictionis à me facti seu propositionis à me prolatae circa id obiectum. Verge; demus Deum reuelasse crastina die Petrum eliciturum actum contritionis, & me habere cognitionem quamdam, etiam non innitentem illi reuelationi, qua ex aliquibus coniecturis, vel temerè sine fundamento affirmo Petrum eliciturum actum contritionis, in hoc casu iudicium quod Deus habet de contritione futura est verum: ergo similiter verum erit iudicium quod ego habeo de eadem contritione futura; si enim ego iudico idem quod Deus iudicat sicut Deus verè iudicat, sic ego verè iudicabo, implicat enim dari duo iudicia representantia idem obiectum cum eisdem circumstantiis, & vnum esse verum, & non aliud, ut ex ipsis terminis est per se notum. Deinde si postquam Deus reuelasset Petrum crastina die eliciturum actum contritionis diceret Ioannes: *Petrus non elicit crastina die actum contritionis*: censetur hæreticus, si reuelatio à Deo facta esset sufficienter applicata: ergo illa propositio negatiua esset falsa: ergo propositio de futuro contingenti falsitatem habet, non enim quis poterit hæreticus censeri, qui nullum iudicium formaliter falsum concepit.

Secundò. Hæc propositiones, *Petrus peccabit*, *Petrus non peccabit*, sunt contradictoriæ, sed ex duabus contradictoriis vna debet esse vera, & altera falsa: ergo ex his propositionibus vna debet esse vera, & altera falsa. Maior & minor neque recentem Summulitatem latebunt: Maior specialiter probabitur: vna ex his propositionibus affirmat Petrum peccaturum, altera id negat: ergo sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem: Minor per se patet: Consequentia est legitima.

Tertiò arguo: Etiam si Petrus modo sit indifferens ad peccandum, vel non peccandum die crastina, de facto determinabitur ad peccandum, vel determinabitur ad non peccandum, quia inter hoc quod est peccare & non peccare non est medium; si se determinabit ad peccandum, vera erit hæc propositio, *Petrus peccabit*, & falsa, *Petrus non peccabit*: & contra si se determinabit ad non peccandum: ergo hæc propositiones habent determinatam veritatem, & falsitatem. Verge: in hoc instanti verum est dicere, *Petrus modo peccat*: ergo heri verum erat dicere, *Petrus erat peccabit*. Probo consequentiam: quod modo est præsens, heri erat futurum, quia esse futurum in aliquo tempore nihil aliud dicit quàm præsentiam rei in tempore futuro: ergo qui heri diceret, *Petrus erat peccabit*, diceret id quod modo est: ergo illius dictio conformaretur cum obiecto: ergo esset vera.

Obiicies: futurum liberum non habet esse determinatum: ergo non habet veritatem determinatam. Probo consequentiam: Veritas obiectiua determinata non distinguitur ab ipso obiecto, sed futurum liberum, quod est obiectum non habet esse determinatum: ergo non habet veritatem obiectiua determinatam. Censent aliqui hæc futura non cognosci in seipsis, sed in decreto, quo Deus illa prædestinat. Contra quod decretum feliciter scripsere Doctores nostræ Societatis: legatur Ruizius t. de voluntate, vbi à disp. 27. vsque ad 38. decretum prædefinitum respectu actus peccaminosi valdissimè impugnat. Respondeo distinguendo illud antecedens: futurum liberum non habet esse determinatum in causa, concedo: in se, subdistinguo: non habet esse determinatum actuale, concedo; non habet esse determinatum futurum, nego; hoc est, non illud habebit, nego: Deinde nego consequentiam. Ad confirmationem, Distinguo maiorem propositionem: veritas actualis obiectiua non distinguitur ab ipso obiecto sumpta præcisè in ordine ad se, concedo; sumpta in ordine ad intellectum, subdistinguo: veritas actualis non distinguitur ab ipso obiecto sumpta præcisè in ordine ad se, concedo; sumpta in ordine ad intellectum, subdistinguo: veritas actualis non distinguitur ab ipso obiecto, siue præterito, siue futuro, concedo maiorem: non distinguitur ab ipso obiecto ut actu existente præcisè, & non præterito vel futuro, nego maiorem:

maiores: veritas enim obiectiva tantum dicit aptitudinem ad terminandum, quam actu habet obiectum, quod actu non existit, sed existeret, vel existeret, quia ad terminandum actu cognitionem non requiritur actualis existentia obiecti terminantis. Ob quam rationem loquebatur N. Ruizius supra cum Thomistis, dum dicebat res esse presentem in aternitate, quia respectu mentis divinae, id quod est futurum, vel prateritum perinde se habet, ac si esset actu existens, ex illa enim mensura praterita, vel futura est intra sphaeram, ad quam cognitio divina ab aeterno se potest extendere, & sicut esse intra sphaeram agentis, vel cognoscentis dicitur illi esse praesens, sic futurum quod ab aeterno est intra sphaeram Dei potest cognoscere, potest dici ab aeterno illi esse praesens. Quod verissimum est, in re tamen talis praesentia nihil aliud est quam obiectiva, non in actu secundo cum denominatione cogniti, sed in actu primo quatenus obiectum est potens cognosci: Posset aliquis dicere, Deum non cognoscere futura in veritate quam actu habeant, sed in veritate quam habebunt, quia illa cognoscit in ipsorum entitatibus, quae non sunt, sed erunt, & ea est divinae mentis infinita perfectio, ut feratur in ea quae non sunt, sed erunt eodem modo, ac si actu essent, qui dicendi modus nihil differt ab illo, quem exposui in solutione argumenti, quia cum dicimus futura non habere veritatem obiectivam actualem in ordine ad se, sed in ordine ad intellectum divinum, idem est ac dicere in se non habere entitatem, quae dicitur obiectiva veritas, hanc tamen posse terminare intellectum divinum, quod oritur ex perfectione cognoscentis potentis cognitione ferri in rem, quae non est, sed erit.

§. IV.

Vnde veritatem habeant hac futura.

20 **S**At mihi videbatur in opere philosophico statuere veritatem futurorum liberorum absque eo quod ex professo disputarem; an in se ipsis, vel in aliquo medio cognoscerentur, & ita & si insinuaerim in se ipsis, & non in decreto cognosci, huius rationem non expendi, scio tamen nonnullum hoc desiderasse ideo placet, quod in hac re tenendum sit, tradere, ut vndique quaestio ista perfecta & absoluta censetur.

21 Futura haec in decreto efficaci Dei illa praedeterminanti cognosci, & independentem, seu antecedenter ad hoc nullam veritatem habere, neque in se ipsis posse cognosci defendunt Thomistae, Bañez q. 14. art. 13. dub. 3. Ledefma de scientia futurorum dub. 3. Alvarez lib. 2. de auxiliis disp. 10. eandem sententiam defendunt Scotus in 1. dist. 34. q. unica. §. visio de contingentia. Richardus dist. 38. q. 5. Alensis q. 24. num. 7.

22 Communis D. P. Societatis Iesu sententia negat futura contingentia cognosci in decreto, affirmatque in se ipsis cognosci. Ita tenent Bellarm. lib. 2. de amissione gratiae cap. 24. & 26. Molina in concordia ad art. 3. q. 14. Suarez lib. 1. de absoluta scientia futurorum contingentium cap. 6. & lib. 2. de concursu Dei per quinque cap. Fonseca 6. Metaph. cap. 2. q. 4. sect. 6. Lessius, de efficacia gratiae cap. 3. & alij.

23 **S**tatu Controu. 10. Physic. Punct. 4. Deum concurrere cum voluntate ad actus liberos per decretum quoddam indifferens, ut coniungatur cum operatione voluntatis, & cum illius carentia, ibidemque statui non posse concurrere per decretum intrinsicè efficacem, & connexum cum operatione voluntatis salua illius libertate. Hoc ipsum probatur eisdem argumentis, quibus ostendi physicam praedeterminationem non posse componi cum libertate, omnia eorum argumenta, quae contra physicam praedeterminationem in hac parte procedunt eodem prorsus modo contra hoc decretum militant. Adde effugium, quod quaeri solet ex eo quod physica praedeterminatio non pertineat ad actum primum, sed sit illius complementum, seu quid medium, inter actum primum, & actum secundum respectu huius decreti tentari non posse.

4 **S**unt nonnulli, qui disparitatem reddant inter physicam praedeterminationem, & hoc decretum, ex eo, quod decretum sit quid extrinsecum, & ita non potest immutari modum operandi intrinsecum voluntati. Deinde quia per hoc decretum vult Deus actum voluntatis liberè fieri, & ita non potest inducere illius necessitatem, hoc enim

esset inducere oppositum illi, quod decreto intenditur, & ipsum decretum frustrari.

25 **V**trumque levis momenti est, & neutrum disparitatem aliquam ad rem conducentem importat. Dum enim decretum intrinsicè efficacem est per se ipsum, aut per media intrinsicè efficacia operationis exequutium, & ponitur antecedenter ad exercitium voluntatis quantumvis extrinsecum sit, eadem prorsus argumenta ex illo desumuntur ac ex physica praedeterminatione, cum illo enim neque in sensu diuiso, neque in sensu composito potest voluntas carentiam operationis componere: non in sensu composito, quia tale decretum ut pote intrinsicè efficacem, & connexum cum operatione impossibile est cum illius carentia, non in sensu diuiso, quia voluntas non potest impedire, seu à se diuidere hoc decretum. Scio, Patrem Suarium frequenter dixisse decretum praedeterminatum actus liberi non posse ledere libertatem, quia est extrinsecum voluntati, & ita non immutat modum operandi eiusdem voluntatis. Verum decretum extrinsecum voluntatis appellat decretum praeventivum, quod solum influit remote in voluntatis operationes per media extrinsecè efficacia, & hac tantum producit non nisi mediis cum operatione voluntatis coniungitur, & hoc decretum tantum vocat extrinsecum voluntatis, & de eo dicit non immutari modum operandi, non vero decretum immediatè exequutium, aut ex sua efficacia connexum cum voluntatis operatione. Hanc esse Patris Suarii mentem illum legenti aperte constat.

26 **I**stud autem, quod dicitur, decretum illud non ledere libertatem, quia potius illam praedefinit, & actum liberum debet inferre ne irritum sit, est probandum supponere, & terminis implicare. Dicimus enim tale decretum repugnare quia ex una parte, ut adimpleretur actum liberum deberet inducere, ut probat obiectio, & ex alia parte esset libertatis destructivum, & ita ex illo duplex contradictorium sequeretur, & Deum habere tale decretum perinde esset ac dicere, volo dari actum voluntatis nulla potentia impedibilem, seu quem voluntas non posset non elicere, & quem voluntas posset elicere, & non elicere, quod est formalissimè velle duplex contradictorium. His praemissis.

27 **S**it prima conclusio; futura libera cognosci non possunt in decreto aliquo efficaci aliorum executivum, neque ab eo in aliquo genere causae veritatem habent. Ratio est, quia tale decretum respectu illorum dari implicat, ut pote libertatis destructivum, ut modo dicebam. Nec nego, quod si tale decretum daretur optimum esse medium ad illa cognoscenda, esset enim connexum cum illis, & ita optimè in illo cognosceretur.

28 **S**it secunda conclusio; futura libera in se ipsis immediatè à Deo cognoscuntur, & per se ipsa independentèr ab omni alio medio, seu determinatiuo terminant cognitionem divinam. Ratio est, quia eo praevisè, quod hodie Petrus peccet, fuit verum dicere Petrus peccabit, & sic in tota aternitate praecedenti, in quocumque enim instanti aternitatis dictum fuisset Petrus peccabit, reperimus modo verè dictum fuisse, eo praevisè, quod Petrus nunc peccet. Etenim per se notum verum dixisse, qui ab aeterno seu in quacumque mensura antecedenti dixit futurum esse hodie, quod hodie est, quia iste dixisset rem esse futuram, quae in re erat futura, quod enim in hac mensura est praesens in omnibus antecedentibus in ordine ad hanc futurum dicitur. Quod si ab aeterno fuit verum dicere Petrus peccabit eo praevisè, quod peccet, ab aeterno Deus habuit hanc cognitionem Petrus peccabit eo praevisè, quod hodie peccet, quia cum Deus sit determinatus ad habendam omnem cognitionem veram: est optima consequentia. Si Deus ab aeterno habuisset hanc cognitionem talis cognitio vera esset: ergo illam ab aeterno habuit. De hoc latius in tractatu de scientia Dei, & non nihil amplius dicam.

29 **T**ertia conclusio futura libera cognosci non possunt in voluntate proximè potenti ad actum liberum, neque in omnibus aliis comprincipiis cum voluntate concurrentibus, in quibus est decretum, quod habet Deus concurrenti cum voluntate per modum causae primae. Ratio est, quia voluntas sic in actu primo constituta, & decretum concurrenti, & quacumque alia comprincipia in actum liberum

liberum influxum sunt indifferentia, ad actum, & ad illius carentiam, & æque cum hac, ac cum illo componi poterunt: ergo ex illis non magis inferitur actus, quam carentia actus: ergo non sunt media apta ad cognoscendum actum. Principia omnia ad actum liberum præsupposita indifferentia esse, ut cum illo, aut illius carentia coniungantur, constat ex definitione potentie liberæ tradita Contr. 12. de Anima Punct. 4. & ex dictis Punct. præcedenti contra physicam prædeterminationem. Principia indifferentia ad actum, & carentiam illius non esse media apta ad actum cognoscendum admittunt communiter fere omnes Theologi, et si Molina voluerit in illis per super comprehensionem posse à Deo effectum cognosci, de quo hic, quia nimis Theologicum disputandum non est. Nec Thomista dicunt in voluntate principii tantum indifferentibus præuenta posse actum liberum agnoscere, sed solum asserunt in voluntate physica præmotione instructa posse cognosci actum liberum voluntatis, quod nos non negaremus, si in principii actus liberi physica prædeterminatio posset annumerari, conclusionem tantum negamus, quia censemus repugnare physicam prædeterminationem intrinsicè, & essentialiter cum actu connexam principium esse actus liberi, potius ipsius carentia essentialiter est prærequisita, ut voluntas possit liberè operari.

30 Quarta conclusio; si admittatur decretum efficax intentium actus liberi, quod in hunc solum influit remotè per media extrinsecè efficacia, quale illud admittunt Auctores citati, & plures alii, quibus consensu in tractat. de Auxiliis, in hoc rectè potest cognosci actus liber. Ratio est quia & si decretum hoc tantum influat in actum remotè, & per media indifferentia, & præcisè ex vi suæ actiuitatis non coniungatur cum actu libero, tale est, ut de potentia absoluta implicet componi cum carentia actus: ergo licet non per immediatam, sed per mediatas consequentias, ut explicio ubi de hoc decreto disputo, tamen inferat actum, quod sufficiens est, ut in illo actus liber, cum quo mediare connectitur possit cognosci. Tradit hanc conclusionem Suarez lib. 1. de absoluta scientia futurorum c. 6.

31 Contra secundam conclusionem est vulgare argumentum: futura libera nullum habere esse determinatum, sed esse indifferentia, ut sint, vel non sint, ac proinde non esse determinatè cognoscibilia, seu nullum esse determinatum illorum cognoscibile esse. Si Auctores, qui sic arguunt consequentiam seruant, etiam suppositis decretis illis, & quibuscumque prædeterminationibus idem argumentum posset in illos retorqueri, quia illis omnibus principii præsuppositis, quæcumque illa sint, voluntas manet libera antecedenterque potens operari, & non operari: ergo ex illa quibuscumque principii instructa non potest certo inferri operatio cum operationis carentia possit procedere, seu cum possit operatio non procedere: Dixi fore, ut posset retorqueri argumentum in eos, qui eo vtuntur, si consequentiam seruant, cum vero eam minimè obseruant, sed velint componere libertatem voluntatis, quæ essentialiter indifferentiam includit cum determinatione orta ex principio, quæ cum libertate opponitur, locus dandus non est, ut argumentum in illos retorqueri sit necesse, sed virgendi sunt ex eo, quod contradictoria sustineant dum principium intrinsicè, & essentialiter connexum cum actu cum illius libertate velint componere.

32 Respondeo igitur: futura libera nullam habere determinationem in causa, quia hæc est indifferens, ut cum illis aut eorum carentia coniungatur, habere tamen determinationem in se ipsis, quia etsi potuerunt esse & non esse de facto erunt, & quia meus actus liber erit, ab æterno Deus habet cognitionem, quæ dicit, *actus erit*, quia ex eo præcisè quod erit vera est cognitio, quæ dicit *actus erit*, & cum Deus sit determinatus ad habendam omnem cognitionem, quem si habeat erit vera, eo præcisè, quod actus erit determinatus, est ad habendam cognitionem, quæ dicit actus erit absque eo, quod inferuiat aliud medium, seu determinatum huius cognitionis.

33 Obiiciens actus, qui crastina die est futurus, hodie, & in tota æternitate non est, neque aliquid illius datur: ergo actus nullam habet cognoscibilitatem. Respondeo antecedens esse verum, illud tamen non ob stare, ut actum possit terminare cognitionem diuinam, nam hæc valet terminari, non solum ad id, quod est, sed ad id, quod erit. Poterit igitur concedi antecedens, & distingui consequens, ut magis euinceretur, & clarius nostra doctrina ap-

pareat nullam habere entitatem actualem, quæ fundet cognoscibilitatem concedo consequentiam, nullam habere entitatem, ad quam modo possit actu terminari diuina cognitio, à qua id, quod erit actu cognoscibile denominatur nego consequentiam. Itaque in hoc concreto futurum cognoscibile in eo subiectum non est, sed erit, forma autem, à qua cognoscibile denominatur nempe cognitio diuina potens terminari non solum ad id quod est, sed ad id, quod erit denominat id actu non est, sed erit actu cognoscibile, & ita quod actu non habet esse, sed habebit actu dicitur cognoscibile, & habere cognoscibilitatem actualem.

Obiicies; hæc propositio, Petrus peccabit cras habet veritatem formalem actualem, sed hæc veritas non est adequate identitica cum propositione: ergo præter hanc debet dari aliquid aliud complens veritatem, & denominans propositionem veram. Plures sunt, qui veritatem formalem propositionis, cum ipsa propositione adequate identitificatam esse asserunt asserentes propositionem esse intrinsicè veram, quod potiori iure de cognitionibus diuinis, & internis iudiciis Dei dici posset. Verum tamen plures propositiones intrinsicè veræ dicantur, quia illis falsitas repugnat, & essentialiter cum obiecto coniunguntur omnium veritatem formalem compositam cæleste ex propositione, & ex obiecto, quod Controv. 7. de Anima, Punct. 1. §. 3. & 4. Affirmo igitur, Propositionem hanc Petrus peccabit constitui actu formaliter veram per se ipsam, & per peccatum, quod non est, sed erit, & ex utroque componi, eo enim, quod Petrus cras peccabit, & quis dicit Petrus peccabit, dicit actu, quod erit, & dicit verum. Insuper nonnulli non potest dari totum actu existentis, cuius partes omnes actu existentes non sint, nec pars actu non existens potest actu totum componere, nec forma, quæ actu non est actu denominationem tribuere.

Argumentum illud, quod hucusque contemplare omnes, plurimum valuit apud iuniores quosdam, apud quos tanti momenti est, ut eo conuicti dicantur, quare aliquid actu existens, quod simul cum propositione veritatem formalem actualem componat, nunquam mihi persuasit homines aliquo acuto, & claro ingenio præditos in eo vim aliquam agnouisse, sed illam simulasse ut occasionem inuenirent à communi sententia discedendi, & latum inueniendi campum, per quem possint longissimis discursibus, & peregrinis meditationibus diuagari, quibus nunquam conquiescere poterunt, nam principii alienæ scholæ non consentientes, nec propriæ inhærentes, nihil firmum nunquam habebunt ubi pedem figant, nouamque semper impugnationum materiam aliis subministrant, quibus longissimos tractatus paucis quibusdam inutilibus questionibus replent, & audientium, ac legentium capita fatigant.

Respondeo igitur, quod æque verum, ac vulgare & apud omnes in totis moralibus, & in extrinsecis denominationibus non requiri coexistentiam actualem omnium partium, nec existentiam actualem formæ denominationis, sic ego modo dicor Adamo posterior ab existentia Antichristi, qui præcessit, & posterior Antichristo ab existentia Antichristi quæ non est, sed erit, & ego dicor, & sum modo religiosus ab actu vouendi ex parte mei, & actu acceptandi ex parte religionis, qui iam præcesserunt, & sic in denominationibus coniugati serui, & Domini, alii que innumeris, de quibus nullus hucusque dubitauit, præteritiores quosdam nimis subtiles, quibus modo placet id negare, nouumque sibi onus imponere designandi formas actu physice existentes harum omnium denominationum, quod inextricabilibus, eisdemque solum notis discursibus præstare intendunt, quod nunquam assequi valebunt.

PUNCTUM VI.

De veritate futuri liberi conditionati.

§. I.

Premittuntur nonnulla.

Futurum conditionatè dicitur illud quod casus, quo talis conditio ponatur, erit, siue talis conditio ponenda sit vel

vel non, quapropter propositio conditionata hypothetica dicitur, seu ex hypothese, quia nihil absolute futuri affirmat, sed tantum quod futurum esset, si talis conditio ponatur. Hoc sibi volunt Dialectici, cum dicunt, propositionem conditionalem nihil ponere in esse, non enim affirmant quod actu sit aliquid, sed quod esset, quapropter nulla reposita conditionalis propositio vera esse poterit. Si enim ego dixerim; si petrem librum à Petro, illum mihi concederet; propositio vera esse potest, etiam si petro libri & illius largitio in rerum natura non ponatur. Propositio tendens in hoc obiectum conditionatum conditionata dicitur, non quia ipsa in se formaliter conditionata sit, sed quia obiectum respicit conditionatum, actus enim quo ego dico, si petrem librum à Petro, illum mihi daret, in se absolutus est, & absolutam actualemque existentiam habet, dicitur tamen conditionalis ratione obiecti quod in se conditionatum est.

Propositiones omnes de obiecto conditionato, vulgo de futuro conditionato dicuntur, sunt tamen plures de presente conditionato, aliae de praeterito conditionato, aliae de conditionato futuro. Propositio de praeterito conditionato est illa, in qua affirmatur quod fuisset aliqua res in tempore praeterito, si talis conditio esset posita, vel quod fuit, si posita sit conditio; sicuti cum quis dicit: si Petrus heri librum à Ioanne petisset, Ioannes librum heri illi contulisset, seu si Petrus heri librum petisset à Ioanne, heri Ioannes librum illi contulisset. Hae duae propositiones sunt de praeterito conditionato, differunt tamen, quod haec posterior, neque virtualiter affirmat, aut negat Petrum petiuisse, aut Ioannē librum contulisse, prior autem illa virtualiter dicit Petrum heri librum non petiisse, qui enim dicit: si hoc fecisses, res ita contingeret, virtualiter dicit, res non ita contigit, quia hoc non fecisti: unde propositio illa duo affirmat vnum virtualiter & implicite, aliud formaliter & expresse; expresse dicit collationem libri conditionatam, quae fuisset in tempore praeterito, si talis praecessisset conditio; virtualiter & implicite enuntiat absolutum obiectum, videlicet non fuisse positam illam conditionem, & ex illius defectu eventum non esse sequutum. Propositio de presenti conditionato est, quando affirmatur aliquid actu existere non absolute, sed ex suppositione talis conditionis. Hae similiter est in duplici differentia: vna quae tantum enuntiat eventum conditionatum, ut cum ego dico: si Petrus in hoc instanti habet talem cogitationem, in hoc consenti: haec neque virtualiter, neque formaliter aliquid absolutum enuntiat. Alia est quae dicimus: si nunc ego pecunias haberem, statim equum emere. Hae propositio formaliter enuntiat eventum conditionatum, & virtualiter & implicite negatione eventus absoluti ex negatione positionis absolute conditionis, & ita resoluitur: equum non emo, quia careo pecuniis. Similiter propositio de futuro conditionato est duplex, quaedam pure conditionata, quae nihil ponit in esse, sed affirmat futurum esse talem eventum, si talis conditio ponitur: sicuti cum ego dico: si crastina die pecunias habeo, equum emam. Alia non est pure conditionata, sed significat eventum futurum, si talis daretur conditio, & virtualiter & implicite negationem eventus ex negatione conditionis, ut cum quis dicit: si crastina die ego habiturus essem pecunias, ego crastina die equum emarem, qui dicendi modus est quasi desperantis, seu dolentis se pecunias non habiturum, ita apte sic dicenti respondemus: bono animo esto, habebis pecunias, & equum emes: non procedit quæritio de veritate respectu obiecti absoluti virtualiter affirmati, sed de obiecto conditionato expresse significato.

Oportet etiam sciri in propositionibus conditionatis, de quibus loquimur, antecedens non habere connexionem necessariam cum consequenti, aliàs futurum seu obiectum conditionatum non esset liberum, sed necessarium, sed tantum habet antecedens, seu id quod ponitur ex parte conditionis conducentiam quandam, ratione cuius consequens, seu id quod sub conditione ponitur, possit procedere à conditione indifferenti ut ab illo procedat, & non procedat conditionatus eventus. Hae indifferentia conducentiam aliquam in actu primo, seu potentiam aliquam in illa conditione ut possit ad positionem effectus conducere, includit essentialiter. Sicuti in hac propositione: si Petrus vocatus fuerit ad penitentiam, penitebit. Vocatio quae ex parte antecedentis indifferens est, ut coniungatur cum poenitentia, & cum negatione poenitentiae, licet poenitentia non possit non eo ipso quod existat, à vocatione procedere, & vocatio in actu primo, intrinsece virtutem habeat influendi in poenitentiam dependentem à libertate voluntatis: hoc inferitur propositiones has conditionales veras non esse ex vi consequentiae, neque ratione formae, sed ratione consequentis, haec enim consequentia: Petrus est vocatus ad penitentiam; ergo penitebit, semper est mala, etiam si vocatus poeniteat, quia ex vi vocationis ita poenitet ut antecederet potuerit non poenitere, & quocumque antecedens potest existere, existat, mala est illatio facta. Quod fit, regulam illam, Consequentia, quae semel est bona, semper est bona, non comprehendere has propositiones de obiecto conditionato libero, quia illa tantum traditur de consequentia, quae formaliter ex vi illationis, & ratione formae est vera consequentia.

Propositio conditionalis alia est constans conditione disparata cum consequenti, alia conditione proportionata consequenti. Propositionem conditionatam de conditione disparata vocant Auctores illam, cuius conditio non habet aliquam conducentiam ad effectum ex se, sed ex decreto aut revelatione Dei, sicut illa propositio 4. Reg. c. 13. Si percussisset septem, delcisset Syriam, quam dicunt multi veritatem habere ratione revelationis, quibus ego non assentior, quia si percussio septena praecessisset, fuisset Syria deleta, & non fuisset haec revelatio: ergo independentem ab hac revelatione verum erat dicere: si percussisset septem, delcisset Syriam. Hae alibi expendenda sunt, ubi tractandum est, an datur propositio conditionata verae quarum conditio disparata sit; ego multum in negatiam partem propendeo, propter rationem, quam infra insinuabo. Dixi agendum esse, an dentur propositiones conditionatae verae, quarum conditio disparata sit respectu consequentis, nam mihi dubium non est posse dari propositionem habentem propriissimè totam rationem constitutivam propositionis conditionatae, quantumvis conditio disparata sit cum consequenti. Ratio est, quia natura propositionis non sumitur ex modo quo obiectum significatum existit à parte rei, sed ex modo, quo significatur ex vi propositionis. Unde si ego significo conversionem Turcae dependentem tanquam à conditione à gallicinio, per hunc conceptum, si gallus cantat, ex vi cantus Turca convertetur, propositio erit hypothetica, quia affirmat praedicatum ex suppositione futurum, & dependens à conditione, quod tamen si ita non sit, reddet propositionem falsam, non tamen ideo propositio conditionata non erit, quia ut modò dicebam dum obiectum eodem modo significatur, propositio eiusdem est naturae, siue obiectum existat, siue non existat.

Notandum est etiam ex parte conditionis debere poni in omni propositione verà, totum id quod ex parte principij requiritur ut sit effectus conditionatus, verbi gratia, ad actum charitatis requiritur habitus supernaturalis & cogitatio in illum inclinans. Hae propositio: si esset cogitatio esset actus contritionis, vera esse non potest, si ex parte conditionis non tacite intelligitur habitus, ita ut sensus sit si fuerit cogitatio & habitus erit actus contritionis. Suppono modò habitum requiri ad actum, ut doctrinam tradam intelligendam de omni principio requisito ad eventum conditionatum. Ratio est quia, secluso vno principio requisito ex vi alijs effectus esse non potest, quia supponimus ad hunc requiri duplex principij (inadequatum intellige) ergo in sensu absoluto nunquam est effectus ex vi vnius tantum principij, neque ex illo tantum procedit ergo neque in sensu conditionato verum erit, si fuerit hoc principium, erit effectus, quia principium quod in statu absoluto insufficiens est ad inferendum effectum, in statu conditionato non illum neque liberè neque neq; necessariò inducet, quia effectus, qui in statu absoluto non potest procedere, nisi à duplici principio inadequato, non potest in statu conditionato verè significari adequatè dependens ab vno principio. Propter hanc rationem feror in sententiam affirmantem nullam conditionem propositionis verae disparatam esse, quia cum conditio adequata omnis propositionis veritatem habentis debeat influere in eventum conditionatum, aliàs propositio conditionata eventum significans vera non erit, ut postea dicam, debet habere virtutē influxivam, id autem quod virtutem influxivam habet in aliud respectu illius disparatum non est sed proportionatum. Ex quo in primis inferitur conditionem adequatam semper esse proportionatam cum eventum conditionato, idque inferitur de conditione inadequata;

nam licet intrinsecè, & ex se proportionem non haberet, ratione alterius adequatè conditionis fieret proportionata. Dixi etiam si proportionem intrinsecè non haberet, quia difficile est non inueniri antecedenter ad decretum & reuelationem Dei proportionem aliquam in re, seu in conditione inadéquata, cui Deus ex decreto aut reuelatione euentum conditionatum annexuit.

§. II.

Assignatur obiectum propositionis de obiecto conditionato libero.

Sed adhuc grauis est difficultas in assignanda conditione respectu futuri liberi conditionati ratione decreti seu concursus Dei requisiti ad existentiam futuri, quomodo videlicet decretum hoc, seu Dei concursus poni debeat, an videlicet ex parte conditionis, vel ex parte euentus conditionati. In qua re non vna omnium Doctorum mens. Pono euentum conditionatè futurum esse actum quemdam naturalem voluntatis, ad quem nullum aliud principium creatum requiritur præter voluntatem præuentam naturali cognitione obiecti, & de hoc inquiri, quomodo assignanda sit conditio. Dicunt quidam ex parte conditionis ponendum esse concursum Dei, ita ut sensus sit: si voluntas habuerit talem cogitationem, & Deus cum illa concurrerit, erit actus voluntatis. Hic modus assignandi obiectum cognitionis conditionatæ nullo modo suffragari potest, quia concursus Dei non distinguitur à concursu creaturæ, & concursus creaturæ non distinguitur ab actu illius. Ex quo fit idem esse ponere ex parte conditionis concursum Dei, ac ponere concursum creaturæ & euentum ipsum conditionatum, ita ut sensus illius propositionis erit, si fuerit voluntas cum cogitatione, & concursus Dei, & voluntatis idem inter se, idemque cum actu voluntatis, erit actus voluntatis: erit ergo hæc scientia inepta, & Deus hoc obiectum cognoscens tantum cognosceret: quod si fuerit actus voluntatis, erit talis actus, & quod si concurrerit, erit illius concursus, qui est idem cum actu voluntatis. Dicunt alij conditionem ita esse ponendam, si voluntas habuerit hanc cogitationem & posset operari independentè à Deo, tali cogitatione posita operaretur. Hoc obiectum scientiæ conditionatæ est chimericum, ex vi enim illius cognosceretur, quid fieret si daretur alia voluntas potens operari independentè à Deo quæ est voluntas chimerica, non verò quid fieret data hac voluntate, quæ dependenter à Deo essentialiter operatur, si talem cogitationem haberet. Alij decretum Dei ponunt ex parte euentus conditionati, & ita obiectum veritatis conditionatæ assignant, si voluntas habuerit talem cogitationem, Deus decerneret cum illa concurrere, & consentire. Difficile defenditur hoc obiectum veritatis conditionatæ; quia in primis voluntas cum cogitatione non est sufficiens conditio ad actum voluntatis sine decreto Dei volentis concurrere: ergo non potest cognosci actus voluntatis futurus tantum sub conditione voluntatis cum cogitatione, quia, ut dicebam, euentus conditionatus non potest cognosci liberè futurus nisi sub adæquata conditione illius. Secundò actus voluntatis non potest cognosci sub hac conditione liberè futurus nisi cognoscatur dependens à principio cum omnibus requisitis ex parte causæ primæ, & secundæ ad operandum: sed præter voluntatem, & cogitationem requiritur omnipotentia indifferens ad producendum actum voluntatis, ut sit talis actus: ergo non potest cognosci liberè futurus, & tantum dependere à voluntate & cogitatione. Alij dicunt obiectum cognitionis conditionatæ hoc esse: si voluntas habuerit talem cogitationem, & Deus decreuerit efficaciter cum illa concurrere erit consensus. Contra hunc dicendi modum sic insurgo: Posito decreto efficaci Dei non potest non esse illud obiectum: ergo conditio posita in hoc obiecto habet connexionem necessariam cum euentu conditionato: ergo euentus conditionatus non videtur liberè futurus, nihil enim est liberè neque contingenter ex suppositione illius, quo posito non potest non esse. Secundò, quando videtur sub conditione negatio actus, ex parte antecedentis non potuit videri decretum, quia hoc nunquam est cum negatione actus, sed non posito decreto actus esse non potest, quia per se dependet à decreto: ergo negatio necessariò ponitur: ergo non potest cognosci negatio actus sub illa conditione, in qua non est decretum requisitum ad actum liberè neque contingenter, sed necessariò futu-

ra. Alij in hunc modum obiectum huius cognitionis assignant. Si voluntas habuerit talem cogitationem, & per Deum non iterit, vel si voluntas habuerit talem cogitationem, & ex parte Dei non deficiat, erit actus voluntatis. Hic modus explicatione indiget, quid enim est non iterit per Deum, vel non deficere ex parte Dei? si est Deum negatiuè se habere, falsum est, quia Deo negatiuè se habere effectus esse non potest: si non deficere ex parte Dei, significat esse concursu quatenus est à Deo, ponitur ex parte conditionis concursus Dei, qui est idem cum concursu voluntatis, & cum illius actu, & ita euentus conditionatus ex parte conditionis apponitur quod supra impugnatum est.

Rem hanc componam ratione quadam communi iuxta cuiusque doctrinæ principia, à qua pauci qui rem attentè meditentur recedunt. Ex parte conditionis ponendum est respectu actus liberi conditionati totum id quod idem actus absolutè liberè existens supponit ex parte actus primi, & eo modo quo supponitur decretum Dei ex parte actus primi ad existentiam absolutam actus, eo modo supponi debet ex parte conditionis ad ipsum actum sub conditione futurum: ratio à priori est perspicua: Propositio conditionatæ affirmat actum esse futurum hac conditione supposita: sed actus illi passivus esset liberè futurus, quibus positus de facto, liber de facto existit: sed positus omnibus, quæ se tenent ex parte actus primi de facto liber existit: ergo antecedenter ad hanc existentiam verum erat dicere, si hæc omnia ponerentur esset actus liber. Confirmatur, quando ego tibi dico, si petis librum à Petro, ille tibi librum dabit, & postea petis, & ille dat librum, tunc ego rectè infero me tibi veritatem prædixisse: ergo cum video ego actum liberè existere ab his principiis, rectè infero, quicumque prædixit actum esse futurum, si talia principia ponerentur, verè enunciavit & verum conceptum efformavit.

Ex hac doctrina iuxta diuersa diuersorum principia diuersum obiectum scientiæ conditionatæ est assignandum: qui sentiunt decretum absolutum, & efficacè præcedere in statu absoluto existentiam absolutam actus liberi tenentur hoc decretum ex parte conditionis constituere ad actum liberum conditionatè futurum: quod si hos premat ratio illa facta de connexionem necessaria inter decretum tenens se ex parte conditionis, & euentum conditionatum, eodem eodem modo premit in statu absoluto, in quo illam dissoluisset debebant, eademque ratione qua defendunt decretum efficacè præcedens meum voluntatis actum in statu absoluto, non ledere absolutam libertatem actus absolutè existentis, idem de decreto posito ex parte conditionis ad actum conditionatum defendere poterunt: est enim vna eademque difficultas, quæ clariùs patet in statu absoluto, quàm in statu conditionato, & quæ ad hunc statum ex illo trahitur. Qui defendunt decretum efficacè, ut efficacè non se tenere ex parte actus primi ad effectum absolutè existentem, sed per hunc illud constitui, tantumque ex parte actus primi ad actum voluntatis supponi omnipotentiam applicatam præcisè per negationem actus quo Deus dicat, nolo concurrere per voluntatem, vel actum diuinæ voluntatis in illo priori non efficacem sed indifferenter ut coniungatur cum actu & cum negatione actus & per negationem actus efficacis, quo dicat, nolo concurrere, tenentur ex parte conditionis ponere voluntatem, cogitationem, & negationem illius decreti dicentis, nolo concurrere, & actum voluntatis diuinæ in illo priori non efficacem, sed indifferenter ad efficacem & illius negationem, si hunc in statu absoluto constituunt ex parte actus primi, & non aliud decretum efficacè. Difficultas illa quam supra tetigi, videlicet ad omnem effectum supponi necessariò actum efficacem voluntatis diuinæ, vincenda est in statu absoluto à quo primo trahitur iuxta hæc principia.

Cæterum cum ego ex parte actus primi ad actum liberum absolutè futurum, decretum quoddam applicatum omnipotentiam constituam, determinatè actum voluntatis respiciens, ex se indifferens ut coniungatur cum actu, & cum negatione illius, quia ex vi illius Deus non decerneret actum esse futurum independentè à voluntate, sed vult actum esse dependentè à libertate voluntatis, ita ut si hæc non se liberè determinet, ex vi illius actus non determinetur, quia tantum habet intrinsecè applicare omnipotentiam ut illa possit uti voluntas, eo modo quo virtus habitu, tunc hunc eundem actum teneor ponere ex parte conditionis ad actum liberum conditionatè futurum, ita

ita ut obiectum propositionis conditionatæ sit hoc, si voluntas habuerit talem cogitationem, & Deus parauerit suam omnipotentiam per decretum indifferens, quo vult actum fieri dependenter à voluntate, erit actus, vel erit negatio actus: naturam huius decreti explicui in *Physicis* Contr. 10. ubi de modo quem Deus habeat concurrere cum causis liberis disputauit: de hac re latius non disputo, de illa enim latissime nostri Auctores in materia de scientia, obiectum scientiæ mediæ assignantes.

§. III.

Statuitur veritas positionis de obiecto conditionato libero.

10 **I**am de veritate harum propositionum facile erit quid dicendum sit definire. Affirmo cum omnibus nostræ Societatis Auctoribus propositiones has veritatem habere. Posset hæc conclusio multis Scripturæ testimoniis, quibus hi conditionati euentus liberi prædicuntur, innumerisque Patrum testimoniis roborari, sed hæc expendere non ad nostrum Philosophicum opus spectat, sed Theologicum est, de quo non modò legantur nostri Auctores, quorum quilibet abundè de hac re multa dabit, præcipuè P. Ruzius tom. de scientia; ubi de hac disputans propriam suam eruditione superasse videtur, neque inter Doctores Scholasticos inuenio, quem cum hoc doctissimo viro in hac re comparem. Ratione purè Philosophica probro. Si Petrus tali cogitatione effect præuentus illi consentiret, vel non consentiret de facto, neque enim potest dari medium ali- quod inter consensum, & non consensum, neque potest poni homo in aliquo statu, seu rerum ordine, in quo vnà harum propositionum non sit vera: *Homo in hoc statu constitutus non consentit, vel homo in hoc statu constitutus consentit*, demus ergo consensum: ergo verum est dicere, si homo in hoc statu poneretur consentiret: demus non consensum, ergo verum est dicere, si homo in hoc statu effect constitutus non consentiret. Confirmatur: pone duos homines, quorum vnus dicit: *si Petrus haberet talem cogitationem consentiret*; & alius dicit, *non si Petrus haberet talem cogitationem consentiret*. Alter horum hominum rem diceret eo modo, quo effect: ergo alter horum veritatem diceret, ergo altera harum propositionum esset vera, & altera falsa: antecedens probro, quia vt supra dicebam in illo casu & in quocumque alio, vel effect consensus, vel negatio consensus determinat: cum ergo vtrumque affirmarent hi duo homines, quilibet illorum alterum extremum, non posset non ab aliquo affirmari id, quod inde futurum esset. Consequenter est manifesta, quia veram propositionem proferri est rem dicere eodem modo quo in se est.

11 Confirmatur, hæc propositio est vera: *Petrus vocatus respondet*, ergo hæc antea erat vera, *si Petrus vocaretur respondere*, vt enim supra dicebam, ex his euentibus absolutis læpè inferimus nos illos verè conditionate enuntiasse sub illis conditionibus, quibus positis dependenter ab illis ponitur euentus absolutus, qui conditionatè fuerat pronuntiat. Denique omnia argumenta quæ suadent veritatem, & falsitatem propositionis enunciatæ de futuris absolutis liberis, idem conuincunt de futuro conditionato; sicut enim ex eo quod hæ sunt propositiones contradictoriæ, *Petrus peccabit, & Petrus non peccabit*, inferitur vnā esse veram, & alteram falsam, sic similiter hæ propositiones: *si Petrus haberet talem cogitationem, peccaret. Non si Petrus haberet talem cogitationem, peccaret*, ergo eodem modo non potest non vnā earum esse vera, & altera falsa.

12 Sed adhuc est aliud, erit componendum faciliè, diffidium inter nostros Auctores: An videlicet propositiones illæ, in quibus id quod ponitur ex parte antecedentis nullam connexionem habet cum consequenti, sint veræ, quādo per accidens coniunguntur antecedens, & consequens: verbi gratia, dixit quis: *si Petrus iudit, Ioannes barbam fricabit*, & de facto contigit Petrum ludere, & Ioannem barbam fricare, dubitatur in hoc casu, an illa propositio vera sit, necne: Affirmat Suar. Negat Vasquez: vtrumque patronum plures sequuntur, quos omnes rectè conciliat P. Herice tract. de scientia, disp. 7. c. 10. num. 61. qui rectè docet particulam *si*, sumi posse propriè, & strictè, & in rigorosa significatione, & tunc prædictas propositiones veras non esse, quia consequens nullo modo ex antecedenti procedit, neque vllus est ordo inter consequens, & antecedens, & hæc ratione dixi in omni propositione conditionali ve-

Francisc. de Ouidio Philosoph. Tom. II.

ritatem habente, conditionem habere aliquam conducen- tiam in euentum conditionatum. Ait etiam particulam *si*, posse sumi improprie in alia latiori significatione, ita vt significet idem quod *cum*, aut *quando*, & tunc prædictæ pro- positiones erunt veræ quociescumquo coniungatur id quod significatur instar conditionis, & instar conditionati. Dico *instar*, quia in his propositionibus propriè non reperitur conditio, neque conditionatum: quia, vt rectè notat Herice, quando particula *si*, sumitur strictè, tantum est vnica simplex veritas falsitas in illo complexo constituto ex co- ditione, & conditionato: quando verò sumitur improprie est duplex obiectum quod assumatur, et si cū repositis concomitantia, sicuti cum dicitur *Petrus curret cum Ioanne*, sensus est, Petrus curret, Ioannes curret & vterq; simul curret, quæ si multas vtriusque cursum dicit formaliter, & hoc sensu posset dici propositionem illam disparatam significatam instar conditionatæ æquiuale re simpliciter categoricæ affir- manti similitudinem duorum extremorum, quæ instar condi- tionis & conditionati significantur.

13 solet obijci, veritatem propositionis conditionatæ de- struere libertatem, nam posita veritate huius propositio- nis, *si Petrus vocatus fuerit, consentiet*, & purificata condi- tione non potest non consentire: ergo necessariò consen- tiet. Respondeo, posita veritate conditionatæ, & purificatæ conditione euentum necessariò transire in absolutum, hæc tamen necessitatem libertati non obesse, quia est neces- sitas orta ex ipso actu conditionato & non ex conditione, neque ex aliquo, quod illum præcedat, ac proinde est ne- cessitas consequens, sicuti necessitas orta ex ipsa absoluta futuritione actus, de qua dixi Puncto præcedenti. Vide so- lutionem ibi traditam eidem argumento facto contra veritatem propositionis de futuro absoluto libero.

§. IV.

In quo cognoscantur.

14 **T**homistæ asserentes, futura libera cognosci in decre- to libero Dei ea præcedenti consequenter asse- runt futura conditionata libera cognosci in decreto quo- dam, quod Deus habet absolutum ex parte actus, & con- ditionatum ex parte obiecti. Contra hoc decretum pu- gnacissime agunt omnes Societatis auctores, ex eo enim libertatem destrui efficacissimis rationibus propugnant. Si enim Deus habet hoc decretum ex natura sua efficax an- tecedens omne exercitium libertatis. *Volo vt si Petro hanc cogitationem dederò consentiat*, & postea aliud similiter antecedens, quo dicat *volo hanc cogitationem*, ex illis infalli- biliter sequitur consensus tanquam ex aliquo antecedenti, & ita neque antecedens potestas permanet ad carentiam consensus, & illa libertas destruitur. Hanc ratio- nem late nostri auctores insequuntur in tractatu de sci- entia Dei, & eadem est cum illa, quam Punct. 5. de decreto futurorum liberorum absolutorum, in quo talia futura Tho- mistæ cognosci volunt, & vtrumque decretum, argumen- tis quibus physica prædeterminatio impugnatur, impu- gnandum est, ideo illius impugnationem non insequor.

15 Iuniores quidam decretum hoc cum vniuersa Societate reijcientes magnam difficultatem sibi fingunt in designa- do medio apto ad hæc conditionata libera cognoscenda & determinatio inueniendo scientiæ, quam de illis Deus habet, v. g. in designando determinatio vi cuius Deus ha- beat hoc iudicium, *si dederò Petro hoc auxilium, & præpa- rem illi meam omnipotentiam consentiet*, potius quam opposi- tum iudicium, quod habuisse contingere potuit, ad quam difficultatem superandam subtiliores, quam solidiores plurimos atrextuere discursus: verumtamen prætextu mo- destiæ, nec magnitudinis laboris in re hac exponenda eam omittendi mihi excusationem permittit Falolus, sed ignauia & incertitia dandum esse affirmat illi, qui rem hanc exponere recuset, sic habet, hæc difficultatem tractans tom. 2. q. 14. art. 13. dubit. 19. n. 462. *Verum enimvero hoc seculo huiusmodi controuersia præstantissimis innumerorum ingenijs adeo trita est, vt si ab istiusmodi solutione excusare te velle, id iam non tam ad modestiam, ac difficultatis magnitudinem, quam ad ignauiam vel incertitiam referri possit*: Ne igitur ignauia, vel incertitia notam admittam paucis rem hanc exponam.

16 Deum per se ipsum ex perfectissimo, & infinito præ- dicto intellectui esse determinatum ad cognoscendum quidquid est cognoscibile, & ad firmandum iudicium de omni obiecto

obiecto, quod si formetur verum erit citra controuersiam est. Verumtamen hoc non sufficit, vt Deus determinetur ad habendum hoc iudicium. Si Petrus habeat hoc auxilium consentit, potius quam istud aliud. Si Petrus habeat hoc auxilium non consentit, quia cum quolibet ex obiectis horum iudiciorum antecedenter sit in differens ad terminandum iudicium verum, vel falsum requiritur, vt saltem consequenter sit determinatum ad constituendum iudicium verum, vt Deus determinetur ad tale formandum iudicium, cum solum possit verum iudicium formare. Hac determinatione supposita intellectus diuinus intelligitur determinatus ad formandum iudicium, seu assensum circa tale obiectum, quia essentialiter est determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile, & ad praestandum assensum circa omne obiectum potens terminare verum assensum, sicuti ad dissentiendum omni obiecto apto terminare verum dissentium, siue dicas hanc determinationem nasci ab intellectu diuino obiecto praesupposito, siue ab ipso obiecto praesupposito ex parte diuini intellectus determinatione ad omne verum iudicium, siue duplicem determinationem consideres, quandam ex parte potentiae intellectui diuino intrinsecam, aliam ex parte obiecti in eo fundatam, qui dicendi modi in re nullam distinctionem important.

17 Affirmo determinatum scientiae conditionatae, & rationem cognoscendi effectus contingentes, conditionate futuros a causis secundis liberis esse veritatem obiectiuam illorum, seu determinatam entitatem, quam conditionally habent praedicti effectus in se ipsis considerati. Hae conclusio communiter est recepta inter nostros Auctores, illam tradunt Suarez lib. 2. de scientia conditionata c. 7. n. 15. Valquez i. p. disp. 67. c. 3. n. 11. Arrubal disp. 44. c. 7. n. 39. Lessius c. 19. n. 7. Falolus loco citato n. 466. qui eisdem verbis formalibus, quibus eam proposuimus, eandem tradit Arriaga tom. 1. in i. p. disp. 21. sect. 3. n. 14. Rationem nostris Auctoribus communem verbo vno tradunt Falolus, & Arriaga, videlicet Deum posse cognoscere quod actu non est, sed tantum esset, quo ingenuo cuique in hac difficultate satisfaciendum esse putabam. Verum iam RR. quorundam diuersa placita, & subtilissima ratiocinationes maioribus expensis veritatem hanc propugnare nos cogunt.

18 Eadem ratione, qua Auctores nostri probant dari hanc scientiam conditionatorum in Deo efficaciter probatur hae conditionata in se ipsis cognosci, nullaque alio determinatio ex parte obiecti indigere, vt terminet cognitionem diuinam: sic illam instituo. Petrus modo absolute elicit actum contritionis procedentem ab hac collectione principiorum (include in ea quod volueris principia) secluso omni alio, quod in hac collectione principiorum existentium non continetur: ergo verum est dicere Petrus consentit praecise cum his principiis contentis in collectione, & secluso quolibet alio: ergo secluso omni alio verum fuisse dicere, si Petrus haberet hae principia (designando omnia in collectione contenta) contereretur. Hoc argumento frequenter nostri vtuntur, asseruntque, hanc esse legitimam consequentiam verum est dicere Petrus vocatus consentit: ergo verum est dicere, Si Petrus vocatur consentit, neque ad consequens inferendum, aut ponendum determinatum aliud ponere necesse est. Ratio a priori est manifesta, ex eo, quod in statu conditionato, neque ex parte causa posita in hypothesi, neque ex parte effectus sub hypothesi positi aliquid requiratur, quod in statu absoluto requisitum non sit, sed in statu absoluto positus principis indifferentibus ponitur consensus liber nullo requisito determinatio, neque ex parte principiorum, neque ex parte effectus praeter ipsum effectum, seu volitionem: ergo propter principia ex parte hypothesi, & consensum sub illa positum absque alio determinatio optime intelligitur totus status conditionatus, & consensus in illo statu aptus terminare veram cognitionem affirmatiuam circa illum.

19 Insuper nullum aliud determinatum scientiae conditionatorum praeter ipsum consensum conditionatum posse designari vniuersaliter probo. Determinatum huius veritatis Si Petrus vocatur consentit, seu scientia circa hoc obiectum debet esse contingens, cum obiectum, & illius veritas contingens sit. Inquiri, an contingencia huius determinatiui determinetur ab ipso consensu conditionato, vt conditio a determinatio, vel non. Si determinetur a consensu conditionato, sicuti consensus conditionatus determinat hoc determinatum poterit immediate scientiam determinare: si non illud determinat quicquid sit

tale determinatum, & a quocumque determinetur, & quomodocumque existat, siue necessario, siue contingenter semel existens libertatem consensus destruit, quia cum essentialiter connexum cum actu voluntatis antecedenter ad exercitium libertatis, & positum independentem ab hoc exercitio destruit libertatem illius actus voluntatis, cum quo connectitur.

Ex hoc capite vniuersa societas relicit decretum Dei absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, in quo cognoscantur conditionata libera, quod cum libertate componi non poterit, idemque erit de quocumque determinatio huius veritatis obiectiuae. Si Petrus vocatur consentit, & non inuoluat ipsum consensum conditionatum, & non dependeat ab exercitio libertatis, quia illud quodcumque sit erit essentialiter coniunctum cum illo, ad quod determinat, & cum illo, ad quod cognoscendum est medium seu determinatum scientiae diuinae. Modo non plura contra hoc determinatum adduco, neque examino, an intra, vel extra Deum ab aliis ponatur? & an si intra Deum sit respectu libere, vel necessario existat? quia etsi sciam diuersis modis de hoc determinatio RR. sensisse mihi sat est asserere nullum determinatum conditionatum a consensu conditionato posse apte designari, nec mihi quaerendum est, quod iudico, & scio nunquam inueniendum.

Potissimum imo, vt suspicor vnicum fundamentum quarentium aliud determinatum est obiectum illud. Si Petrus vocatur consentit, in re non esse neque habere veritatem obiectiuam, & ita per se ipsum non posse determinare intellectum diuinum ad illum cognoscendum. Corrigen- da est apprehensio, qua omnia, de quibus esse cum addito diminuentur dicitur, sine illo representatur, illique esse simpliciter, & absolutum sub existentia absolute exercita applicatur, & in eisdem quaeritur, quid simpliciter actu, & absolute existens importet, quod manu apprehendi possit. Hac ratione notabam Controv. 12. Metaph. Punct. 2. n. 11. multos molestè disputare, & difficile percipere, quid sit ens rationis existimantes in illo aliquid reale existens, aut possibile reperiendum, quo nihil longius, potius enim vt sit ens rationis pure fictum tantum habens esse obiectiuum in intellectu, supponitur illius non esse, neque existens, neque possibile. Dum enim dicitur esse ens rationis illud ratio- nis est additum destruens veram rationem entis, & signifi- cationem verbi substantiuum est, sicuti cum dicimus hic est homo pictus, additum pictus destruit rationem hominis.

Eandem doctrinam tradidi Controv. 2. Metaph. Punct. 1. n. 14. agens de possibilitate rerum, & de ente possibili vbi dixi in his propositionibus, homo est possibilis, Angelus est possibilis, non importari esse simpliciter, quod ex se significat verbum est, quia praedicatum possibile minuit illius signifi- cationem, & ita posse dici Petrum ab aeterno esse possi- bilem absque eo quod ab aeterno aliquid sit, seu existat, aut coexistat Deo. Notabam insuper ibidem in propo- sitionibus aeternae veritatis homo est rationalis, ratione mate- riae copulam est non importare esse, seu existere simplici- ter, quod ex se significat, sed tantum dicere connexio- nem praedicatorum.

Dixi insuper dum dicimus modo esse, & ab aeterno fuisse hanc connexionem non significare modo simpliciter esse, aut simpliciter ab aeterno fuisse aliquid, in quo consistat hae connexio, nam sicuti ab aeterno non habuerunt esse praedicata connexa, sic neque illorum connexio cum ipsis identificata, non enim connectuntur per connexio- nem superadditam, sed per se ipsa, & ita dum dicimus ho- mo est rationalis, significamus, quod si existat homo exi- stet identificatus cum rationali, & ita propositio ista ho- mo est rationalis aeternae veritatis dicitur, quia in quocum- que, & pro quocumque aeternitatis instanti vera est hae conditionalis, si existit homo existit identificatus cum ra- tionali. In similem conditionalem resoluitur propositio ista, rationale est connexum cum animali, quod est dicere si existat rationale existit animal, sic dum absolute dici- mus Petrus est possibilis, tantum significamus, quod si exi- steret Petrus non existeret duplex contradictorium, seu non existeret duo praedicata sibi contradictoria. Hac ratione ibi late explicui quomodo ab aeterno porue- rit dici, Petrum esse possibilem, & propositiones illas quae aeternae veritatis dicuntur in quocumque, & pro quocum- que aeternitatis instanti veras iudicemus, & quomodo Petrus

Petrus verè dicatur, & sit possibilis in quocumque, & pro quocumque aternitatis instanti, quin ab aeterno aliquid fuerit Deo coexistens.

24 Contra hanc doctrinam arguit Soncinus lib. 9. quæstion. Metaphysicalem, q. 4. his verbis: Eorum, quæ cadunt sub extremis eius contradictionis, aliquid includit vnum, quod non alterum, quia impossibile est, quod contradictoria sint penitus idem. Sed illud nihil quod est impossibile produci puta chymæra, & nihil id, quod est possibile produci puta noua species Angeli cadunt sub conditione, cuius extrema sunt possibile, & impossibile; ergo aliquid includitur in vno, quod non includatur in alio, sed hoc non potest esse nihilitas, vt sit communis vtrique: ergo est aliquid præter nihilitatem, scilicet aliqua entitas includitur in eo quod est nihil possibile produci. Hoc est argumentum Soncinatis, quod ad meliorem formam accingo. Possibile, & impossibile sunt contradictoria; ergo non possunt vtrumque importare purè nihil, alias inter se non differunt; ergo etiam si Angelus purè possibilis, & Chymæra nihil sint & nihil chymæra nullam entitatem, seu nihil posituum adiunctum habeat, nihil rei possibilis debet habere adiunctum aliquam entitatem, seu aliquid posituum. Hoc argumentum est idem omnino respectu futuri & non futuri consensus absoluti, & respectu fore, & non fore eiusdem consensus, seu esse, & non esse consensus conditionati quorum actu nihil est.

25 Prædicto argumento occurrit Contr. Metaph. 2. Punct. 1. n. 12. ubi dixi lapidem possibilem actu non existentem, & Chymæram non distinguere per aliquid quod sit, sed per aliquid quod esset, imò si strictè loquamur non distinguuntur, non quia identificentur, sed quia non sunt, & quod non est, non est distinctum ab alio si verbum est strictè sit sumendum. Neque ex duobus contradictoriis debet alterum in quocumque statu, & pro quacumque mensura existere, quia cum dico Petrus currit, quod verum est, quia de facto currit, modò non est hoc, quod esset, neque est negatio illius quod est currit proptèr significatur per verbum istud de futuro. Ratio est, quia negationes, & habitus habentes contradictoriam oppositionem debent esse, & considerari in eodem statu, & pro eadem mensura, negatio absolutè existens opponitur cum habitu absolutè existentis, & illius existentiam absolutam excludit. Similiter habitus futurus, nempe contritio die crastino elicienda opponitur cum negatione existenti hodie. Eadem ratione consensus conditionatus, qui non est sed esset, opponitur cum negatione non quæ sit, sed quæ esset, bene enim componuntur negatio contritionis absolutè existentis, & contritio sub conditione futura, & ita respectu huius consensus conditionati si Petrus vocetur consentiet nullum est non esse absolutum illi oppositum, neque illa est negatio absoluta excludens hunc consensus, vt conditionatum seu ab illo statu conditionato. & consequenter nullum habet contradictorium absolutum, sed tantum conditionatum, quod est carentia, quæ esset consensus procedentis ex principiis positæ ex parte hypothesis casu, quo cõditio purificaretur. Imò si daretur modo aliqua negatio absoluta excludens cõsensum cõditionatum, vt conditionatū hæc immediatè non opponeretur contradictoriè cum consensu absoluto, sed cum conditionato, vt conditionato, quia omnis negatio seu omne non esse contradictoriè opponitur cum eo solum immediatè: quod excludit, & eo modo, quo illud excludit, & est illius non esse. Dixi non opponeretur immediatè, quia ex negatione consensus conditionati rectè infertur negatio consensus absoluti.

26 Ex his si roges quid sit consensus conditionatus, vel quælibet res alia sub conditione existens facillè responderetur, si inquiras quid sit absolutè sumpto verbo esse in sua significatione inquiris, quid sit illud quod non est, seu non significatur esse dum dicitur esse sub conditione. Si inquiras, quid esset casu quo purificaretur conditio, respondebo fore consensus actu absolutè existentem, sicuti est actus, quo ego modo volo hæc scribere, quod si amplius adhuc scire velis, curas adhibe in purificanda conditione, & quod post illius purificationem esse videris illud scito esse, de quo dicebatur, quod esset, si poneretur conditio.

Obiicies, futura conditionata actu habent veritatem obiectiuam: ergo in illis, dandum est aliquid actuale existens, per quod illorum veritas obiectiua actu constituitur. Respondeo eo solum (si ex aliquo capite dici potest) habere actu veritatem obiectiuam, quia cognitio Dei actu

ad illa terminatur, & hæc cognitio habet veritatem formalem actualem, verumtamen hoc non probat ex parte obiecti cognitionis terminatæ ad euentum conditionatum dari aliquid, quod actu, & absolutè sit, quia cognitio diuina actu fertur in obiectum, quod esset eadem certitudine, ac in obiectum, quod est. Negandum igitur esset, si strictè loqueremur maximè his, qui nimis subtiliter arguere volunt habere veritatem obiectiuam, quæ sit & dicendum tantum habere veritatem obiectiuam, quæ esset, talem tamen, vt valeant terminare cognitionem, quæ est, & fundare veritatem formalem actu absolutè existentem, ratione cuius communiter dicitur habere veritatem obiectiuam.

27 Instabis: futura conditionata, vel habent absolutam virtutem terminandi cognitionem absolutè existentem, & fundandi veritatem formalem absolutè existentem, vel non habent? Si illam habent iam in illis requiritur aliquid absolutè existens, si non habent non poterunt cognitionem actualem terminare, nec fundare veritatem formalem absolutè existentem. Respondeo nullam habere virtutem in se absolutè existentem terminandi cognitionem, & fundandi veritatem formalem; habere tamen virtutem conditionatam ad terminandum absolutè, & actu cognitionem, & constituendum veritatem formalem actu, & absolutè existentem, hoc enim tantum importat cognitionem diuinam posse absolutè, & actu terminari ad obiectum, quod non est sed esset, & per conformationem cum hoc obiecto cognitionem diuinam actu constitui formaliter veram.

PUNCTUM VII.

Appendix: quid sit certitudo actus in actu vero.

1 Certitudo affectio quædam est veritatis seu propositionis veræ, quæ non omnem veram propositionem comitatur, verumtamen veram tantum potest comitari, ideo de certitudine ago dum de veritate disputo; deinde quia dubium est, an certitudo propositionis ab illius veritate distinguatur, quapropter ad perfectam veritatis notitiam plurimum conducit cognitio certitudinis.

2 P. Vasquez 1. part. disp. 9. t. 10. triplicem meminit certitudinem. Prima est determinatio sine formidine, quæ quis ita obiecto assentitur vt nolit vel non possit ab eo dissentire. Certitudinem hanc, quando oritur ab actu voluntatis efficaciter imperantis, hunc assensum, vocant plures certitudinem affectiuam; ego verò neque hoc nomine dignam esse iudico, quia imperium hoc efficax tantum determinat intellectum, vt in hoc actu perseveret, quod non est intellectum certum constituere de obiecto, si aliàs ille actus intellectum formaliter certum non reddebat, quia certitudo non consistit in eo quod intellectus non desistat ab assensu, quem semel elicit, quia existente assensu potest intellectus esse positivè incertus, & posituum formidinem habere circa obiectum talis assensus, vehementerque suspicionem forsan rem aliter se habere, & suum assensum falsum esse, quotidie enim dicimus: *se sentio, & iudico, sed forsan fallor.* Pone ergo voluntatem imperare actum illum quo dico: *se sentio & iudico*: non ideo certus ero, quia sicut cum illo actu compossibilis erat alter ille, *forfan fallor*, quando nullum erat imperium voluntatis: sic imperio posito, quia impossibilitas actus intellectus inclinat in dissentium, non habet immediatam impossibilitatem cum actu voluntatis imperante assensum: sed si aliquam haberet, esset cum ipso assensu immediatè & mediatè cum imperio voluntatis: sed cum assensu nullam habet: ergo neque cum imperio. Posset voluntas non solum efficaciter imperare perseverantiam huius assensus ex se impossibilis cum formidine, sed etiam negationem totius formidinis, & illius actus quo intellectus dicebat *forfan fallor*. In hoc casu imperfectè satis & extrinsecè intellectus erit certus præcisè ex negatione actus formidinis orti ex imperio voluntatis, quapropter hæc certitudo tantum erit extrinseca: sed esto dicatur certitudo necessitas assentiendi orta ex imperio voluntatis, hæc certitudo tantum erit certitudo inhærens, seu in ordine ad subiectum, non verò obiectiuam, quia nullo modo infert veritatem iudicii, neque cum illa connexionem aliquam habet, sed æquè componitur cum propositione vera & falsa.

K 4 Certi

Certitudo quā quis ita assentitur alicui obiecto, vt ex vi illius actus ita firmiter illi adhaereat, vt non possit formidinem aliquam concipere de obiecto cui assentitur neque locū relinquet consultationi circa veritatem obiecti, propriè dicitur certitudo inhaesiva, seu obiectiva, quæ reperi potest in actu scientiæ & erroris, sunt enim plures qui firmius adherent suis erroribus, quàm alij scientificis conclusionibus.

3. Secundò Vasquez certitudinem sumit pro veritate propositionis: hæc acceptio est nimis laxa, & impropria; aliud enim est etiam in communi modo loquendi propositionem esse certam, & esse verā, dicimus enim sæpè ex duobus extremis contradictoriis neutrum esse verum, quia eorum alterum verum esse necesse est. Tertio sumitur certitudo pro actu reflexo, quo quis iudicat assensum à se præstitum certum esse. In primis hæc certitudo, si nomen certitudinis meretur, non est certitudo obiectiva, quam inquirimus, sed tantum subiectiva, quæ componi potest cum falsitate propositionis, idè quod quidquid sit de hac, aliam certitudinem nos inquirere necesse est. Affirmo tamen hunc actum, quo ego iudico meum assensum certum esse nullo modo certitudinem adhuc inhaesivam in se habere, neque derivare in actum directum, quem respicit tanquam obiectum. Ratio est, quia aliud est actum respicere tanquam obiectum certitudinem, aliud esse formaliter certum, sicuti aliud est actum respicere tanquam obiectum scientiam, aliud actum esse formaliter scientificum: plures enim actus probabiles, imò falsi scientiam respiciunt tanquam obiectum, plura enim de scientia probabilia dicimus, & plura de illa possumus prædicare quæ illi non conveniunt; ergo non ex eo quod actus reflexus respiciat tanquam obiectum certitudinem actus reflexi, formaliter est certus. Confirmatur; sæpè ego dubito, an assensus quem exhibui, sit certus, necne; & habeo formale dubium de certitudine mei actus: ergo possum assentiri huic certitudini cum aliqua formidine: ergo posito assensu reflexo, quo iudicem meum assensum esse certum, possum habere formidinem, an existat talis certitudo & consequenter an existat obiectum actus directi, & utrumque actum esse incertum.

4. Infero ex his prædictum actum ex obiecto non habere formaliter, neque refundere aliquam certitudinem, non tamen nego posse dari aliquem actum formaliter certum certitudine inhaesivā, quo iudicem alium assensum esse certum, quia sicut potest dari formalis certitudo inhaesivā circa quolibet aliud obiectum etiam falsum, ita dari poterit hæc formalis certitudo in actu reflexo respiciente tanquam obiectum certitudinem actus directi. Dubium esse potest an actus reflexus formaliter certus respiciens tanquam obiectum certitudinem actus directi deriuat certitudinem in actum directum. Resp. in primis actum illum reddere per se ipsum formaliter certum intellectum de existentia obiecti actus directi. Ratio est perspicua: non possum ego iudicare hunc actum esse verum, quin iudicem obiectum illius existere eo modo, quo representatur per actum; neque possum dubitare de veritate actus, quin dubitem de existentia obiecti, implicat enim aliter iudicare de veritate actus, ac de existentia obiecti representari per illum, quæ formaliter constituit actum verum: ergo eo ipso quod firmiter adhaeream veritati actus, adhaereo existentie obiecti: ergo eo ipso quod habeam certitudinē inhaesivam de veritate actus, eandem habeo de obiecti existentia. Ex hoc fit, posito actu reflexo, me non posse habere formidinem de existentia obiecti directi, quia habeo certitudinem inhaesivam de illo, ex vi actus reflexi, quo firmiter adhaereo veritati illius, & dubitare non possum de obiecto, de quo habeo certitudinem inhaesivam formalem, ex vi huius actus, licet ex alio actu illam non habeam. Ceterum directum actum nullam certitudinem inhaesivam existimo habere derivatam ex actu reflexo, sed ex se formaliter esse a quæ incertum, & capacem formidinis ac antea, licet per accidens ratione alius actus impediens formidinem circa illius obiectum, non possit cum illa coniungi, dum ille alius actus perseverat, qui est formaliter certitudo inhaesiva de eodem obiecto. Ratio est, quia actus reflexus omnino per accidens se habet respectu directi, quem tantum respicit sicuti obiectum, ex quo respectu tantum accersit actui denominationem cogniti vt certi; denominatio autem non realiter applicat obiecto prædicatum, quod intentionaliter illi tribuit, hæc enim est inepta consequentia: cognoscitur hic actus vt certus: ergo

est certus: sed actus ille reflexus tantum deriuat in directum esse cognitum vt certus: ergo non dat illi esse certum.

Sentiunt plures certitudinem esse connexionem propositionis cum obiecto. Verumtamen si conclusio hæc intelligatur de connexionem intrinsecam actus per suam entitatem exigentem obiecti existentiam vniuersaliter non est vera, quia vt dicebam Punct. 1. hæc propositio, *Petrus est possibilis*, connexionem hanc non habet cum suo obiecto & nihilominus in omnium opinione certa est. P. Vasquez disp. 38. n. 33. & 35. ait actum certum esse illum, qui semper veritatem attingit, verumtamen cum dixerim propositionem non posse transire de vera in falsam, necessario iuxta hæc principia, actus qui aliquando est verus, semper est verus, & cum non omnis actus qui aliquando est verus, certus sit, fit necessarium non omnem actum qui semper est verus, certum esse, verumtamen existimo sententiam Patris Vasquez in re veram esse quam iam explico.

Sentio propositionem certam esse propositionem antecedenter necessario veram, cui falsitas contingere non potest, sic interpretor P. Vasquez dicentem actum verum, esse actum qui semper verus est hoc est, qui ita verus est, vt non potuerit illi falsitas subesse. Probo hanc conclusionem: certa tendentia in aliquod obiectum est illa, que non potest à termino præfixo aberrare, neque ad aliquam partem declinare, & certum dicimus id quod alter contingere nequit: ergo illa propositio erit vera, quæ ita tendit in obiectum, vt nunquam possit ab illo deflectere, neque declinare ad aliquod extremum in obiecto non reperiuntur: ergo illa propositio erit certa, quæ necessario conformatur cum obiecto. In hac conclusione conveniunt omnes, qui materiam hanc accuratè evolvunt, in qua de re levis potest esse dissensio.

7. Diximus iam, quibus propositionibus certitudo conveniat, & propositionem certam in concreto definiat, restat modò certitudinem definire, & explicare quid sit, & an sit intrinseca vel extrinseca actui. Certitudo est necessitas veritatis, seu ratio illa, propter quam veritas huius propositionis ab illa separari non potest. Probatur ex dictis: propositio certa addit supra veram non certam, necessitatem veritatis, & ideo ex his propositionibus, *Petrus existit*, *Petrus potest existere*: et si utraq; sit vera, secunda est certa, & non prima, quia secunda veritatem habet necessitatem, & non prima: ergo propositio certa tantum addit supra veram non certam, necessitatem veritatis: ergo tota formalis ratio certitudinis consistit in necessitate veritatis: ergo id quod est ratio formalis, propter quam veritas non possit separari à propositione, est formalis ratio, quæ illam certam constituit. Ex hoc infero in aliquibus propositionibus certitudinem esse intrinsecam, in aliis verò extrinsecam. Percurro varias propositiones, quibus rem explicabo. Omne iudicium diuinæ mentis intrinsecè, & per se certum est, quia iudicio mentis diuinæ per suam entitatem repugnat falsitas, & essentialiter habet connexionem indissolubilem cum obiecto. His actibus summa omnium certitudinum convenit, quia convenit illis summa veritatis necessitas. Ceterum actus diuinæ mentis versantur circa obiecta necessaria, & circa obiecta contingencia creata. Actus qui versantur circa obiecta necessaria, sicuti actus quo Deus iudicat Angelum esse possibilem, duplicè certitudinem habent, quamdam intrinsecam, quam iam exposui; extrinsecam aliam, quæ consistit in necessitate obiecti ratione cuius non potest non esse verus omnis actus qui in illud affirmatiue feratur, ita vt si per impossibile diuina mens posset actus non veros elicere, actus ille quo iudicat Angelum esse possibilem, non posset non esse verus, quia illius obiectum deficere non potest, & implicat obiecto non deficere, actum qui in illud affirmatiue fertur non esse verum. Actus verò qui fiuntur in obiecta contingencia non habent hanc infallibilitatem ex obiecto, quia obiectum deficere potest, vnde si aliunde actus, quo Deus iudicat Petrum existere certus non esset, ratione materialis obiecti non illi falsitas repugnaret. Dicendum ergo est omnes actus diuinæ mentis intrinsecè habere certitudinem illis identificatam & insuper actus qui fiuntur in obiecta necessaria habere certitudinem aliam extrinsecam ab obiecto, quam non habent actus, qui fiuntur in obiectum materiale contingens. Neque ideo hi actus dicendi sunt incerti ab obiecto, quia illis absolute repugnat incertitudo, neque ex aliquo capite potest convenire, eo enim ipso quod intrinsecè certi sunt, intrinsecè habent

habent non posse neque intrinsecè, neque extrinsecè esse incerti.

8 Actus omnes, qui principia à quibus procedunt respiciunt ut obiecta, intrinsecè certitudinem habent, quia intrinsecè illis repugnat, non coniungi cum tali obiecto, quod licet non formaliter in ratione obiecti, illud tamen ut principium à quo per se dependens supponunt. Insuper conveniet huic actui necessitas alia, ratione obiecti, si hoc ita sit necessarium, ut non possit non esse, eo modo, quo significatur per actum, quo ego iudico Deum existere; etiam si reuelationi non innitatur, sed sit purè naturalis, discursui scientifico, vel etiam probabilii innitens. Ratio est quia huic actui repugnat falsitas ex necessitate obiecti, ita ut si per impossibile efficienter ab illo non dependeret, non posset esse falsus: hanc repugnantia falsitatis, seu necessitas veritatis in qua sita est certitudo, est actui intrinseca: repugnat etiam falsitas eidem actui, quia supponit obiectum tanquam principium, quod illi intrinsecum est, & ita hæc repugnantia falsitatis, seu necessitas veritatis, quæ est etiam certitudo formalis, illi actui intrinseca est. Reliqui omnes actus abstractiui naturales, quorum obiectum distinguitur à principio actus, & ab ipso actu, intrinsecè certi non sunt, quia neque intrinsecè connexionem habent cum obiecto, neque illud supponunt ut dicebam punct. i. Erunt extrinsecè certi, illi qui feruntur in obiectum necessarium, eo modo quo dixi de actibus diuinæ mentis certitudinem habere ab obiecto necessario independentem ab infallibilitate diuinæ mentis. Actus fidei diuinæ iuxta communem sententiam asserentem essentialiter connecti cum reuelatione existentem certitudinem habent intrinsecam ab obiecto formali desumptam cui intrinsecè certitudini, adheret certitudo extrinseca ex obiecto materiali, si hoc sit necessarium, & similiter ex principio quod supponit, si hoc cum obiecto identificetur. Unde actus quo ego affirmo Deum existere, triplicem habet certitudinem; duplicem iam explicatam de actu naturali circa idem obiectum, & aliam intrinsecam ab obiecto formali desumptam. Quod si actus fidei de potentia Dei absolute possit ferri in reuelationem apparentem, & ita veritatem non habere, certus erit naturaliter loquendo, id est, habebit certitudinem, ex vi cuius naturaliter non posset esse falsus, non vero ratione cuius falsitas repugnabit, semper tamen ex suppositione existentie formalis obiecti, actus fidei diuinæ certitudinem habebit, cui supernaturaliter etiam falsitas non possit contingere, quia repugnat existente reuelatione actum fidei, verum non esse. Omnes actus intuitui qui possunt supernaturaliter existere obiectis non existentibus & illius existentiam exigunt, certitudinem intrinsecam habent, ratione cuius naturaliter non possunt non esse veri, non vero ratione cuius non possunt supernaturaliter falsitatem habere. Si verò illis ex sua natura intrinsecè repugnet, adhuc supernaturaliter existere sine obiecto, intrinsecè certitudinem habebunt indistinctam ab illis, ratione cuius adhuc supernaturaliter falsitas illis repugnet. Actus verò intuitiuus, qui neque naturaliter exigit existentiam obiecti nullam certitudinem intrinsecam habent. Hi actus intuitiuus, sicuti reliqui omnes abstractiue certitudinem extrinsecam habent identificatam cum obiecto, quando feruntur in obiectum necessarium, quod non potest non existere eâ ratione quâ representatur per actum. Sic intuitiuus visio Dei præter certitudinem intrinsecam quam habet, ex eo quod habeat obiectum identificatum cum suo principio, habet aliam certitudinem extrinsecam desumptam ex necessitate obiecti in quod fertur, quod eo ipso quod non possit non existere non potest non veritatem visionis reddere omnino certâ: quibus actibus intuitiuus hæc, vel illa connexio conveniat, vel non conveniat, cum suo obiecto dixi punct. i.

9 Ex his inferes, quibusdam actibus convenire certitudinem intrinsecam identificatam cum ipsis, qui diuidi possunt in duas partes: quidam habent hanc certitudinem ratione identitatis obiecti cum principio, sicuti actus, quo ego cognosco meam existentiam; vel actus cum obiecto, sicuti cognitio, quâ Deus seipsum cognoscit, quæ ab obiecto non distinguitur. Alij hanc certitudinem habent ratione obiecti formalis, cum quo intrinsecam connexionem habent, sicuti de actu fidei fert communis sententia. Alij certitudinem extrinsecam habent ratione obiecti necessarij & existentis eo modo quo representatur per actum, quorum certitudo ab ipso non distinguitur. Alij has omnes certitudines habent sicuti actus quo credo Deum existere propter ip-

sum dicentem. Infertur etiam certitudinem quamlibet ex his inadæquatè à veritate distingui, quia veritas dicit actum & obiectum, & certitudo intrinseca adæquatè in actu consistit, extrinsecæque in obiecto. Infertur etiam certitudinem extrinsecam talè dici respectu actus, non respectu veritatis, quia si veritas in actu, siue in obiecto consistat, sæpè est intrinseca veritati, quia tam actus, quam obiectum intrinsecè pertinent ad veritatem. Infertur etiam actum ex nullo capite connexionem habentem cum obiecto contingenti, in quod fertur, nullam habere certitudinem; non intrinsecam, quia, cum non habeat connexionem cum obiecto, non inducit illius existentiam, neque intrinsecè veritatem exigit, non extrinsecam ratione obiecti, quia obiectum contingens veritatem actus non inducit.

10 Obiic. Si Deus reuelaret actum, quo ego iudico modò Petrū currere propter aliquas probabiles coniecturas, esse verum, hic actus esset certus, & tamen intrinsecè connexionem non haberet cum obiecto, neque obiectum esset necessarium: ergo potest dari actus certus non intrinsecè connexus cum obiecto & tendens in obiectum contingens. Resp. posita illa reuelatione fore certum actum, quo propter ipsam ego crederem illum actum esse verum, tamen actum illum directum quo ego iudicarem propter probabiles coniecturas Petrū currere, non fore certum, quia intrinsecè actus esset idem, & obiectum idem permaneret & antecedenter contingens, quia reuelatio Dei per se loquendo non inducit necessitatem obiecti, sed illud supponit aliunde liberum vel necessarium. Instabis, eadem reuelatione, quâ Deus dicit esse verū aliquem actū, dicit illius obiectum existere, ergo reuelatione quâ dicit illum actum quo ego dico, *Petrus currit*, esse verum, dicit Petrū currere, ergo actus ille quo dico ego, *Petrus currit*, versatur circa obiectum reuelatum: ergo necessariò est verus: ergo est certus. Respondeo concedendo antecedens & primam consequentiam: ad secundam distinguo consequens: Actus ille quo ego dico, *Petrus currit*, versatur circa obiectum reuelatum dependenter è reuelatione, seu tendens aliquo modo in reuelationem, nego consequentiam independentem à reuelatione, & nullo modo tendens in illam, concedo consequentiam. Deinde distingo aliud consequens: ergo est necessariò verus necessitate orta ex aliquo pertinente ad hunc actum, nego consequentiam: necessitate orta ex reuelatione non pertinente ad hunc actum, quæ omnino per accidens se habet ad illum, concedo consequentiam: ergo est certus, nego consequentiam; necessitas enim veritatis, quæ non oritur ab entitate intrinseca actus veri, neque ab illius obiecto formali, neque materiali, non constituit actum certum, quia respectu illius omnino per accidens se habet. Poterit dici obiectum illius actus omnino certum, quia implicat non existere supposita reuelatione, & similiter implicat esse falsum actum, qui affirmatiue fertur in obiectum illud reuelatum, quia tamen tota hæc repugnantia oritur ex suppositione reuelationis, quam tantum supponit & respicit actus qui tendit in obiectum reuelatum, & non alius actus, qui ex alijs motiuis fertur in idem materiale obiectum, quod est reuelatum, certitudo tantum refunditur ex reuelatione in actum, qui hanc respicit tanquam formale obiectum, non verò in alios actus in ordine ad quos omnino per accidens se habet.

11 Ultimò noto certitudinem omnem siue identificatam cum actu, siue cum obiecto propriè & per se denominare actum certum, potius quàm obiectum, quia certitudo est tendentia fixa in obiectum, ita ut non possit ab illo desistere, neque in aliam partem ab eodem aberrare, & ratio tendentiae actui convenit respectu obiecti, & non obiecto respectu actus, dicimus enim actum tendere in obiectum, & non dicimus obiectum tendere in actum.

12 Hæc omnia rectè componuntur in mea sententia, quæ non constituit veritatem, aut falsitatem intrinsecam omni actui; in opinione verò, quæ asserit omnem actum verum intrinsecè verum esse, difficile potest certitudo à veritate distingui, quia omnis actus verus secundum hanc sententiam intrinsecè verus est, & ita necessariò verus, ut non potuerit illi neque supernaturaliter falsitas contingere. Hurtad, qui hæc tenetur cõponere, respondet disp. 8. de anima sect. 4. illum actum tantum esse certum, cuius veritas necessaria oritur ex principio, vel ex motiui quod non cõuenit actui opinatiui, etiam verò, quo ego iudico existere aliquod obiectum contingens. Non placet solutio, quia ex quocunque capite oritur necessitas veritatis constituit tendentiam in obiectum fixam, & rectam absque aliqua errandi contingencia;

tingentia: ergo constituit actum certum. Præterea necessitas huius veritatis in actu est prædicatum quoddam specificum & essentialiter actui, quod non potest non specificari ex principiis, vel ex obiecto. Deinde sumitur ex modo tendendi in obiectum, quod actus verus secundum hanc sententiam essentialiter supponit, & cum quo essentialiter connexionem habet. Concludo ob has rationes ægrè in hac sententia veritate à certitudine posse distinguere.

CONTROVERSIA VIII.

De Voluntate.



VOLUNTAS est potentia spiritualis per actus elicitos appetitiva. Distinguitur ab Appetitu communi homini & bruto per prædicatum spiritualis; & ab aliis innatis, per ordinem ad actus elicitos, quos præcedenti cognitione exercet, mediis quibus fertur in obiectum præcognitum non cæco modo, sicuti fertur innatus appetitus nullâ præeunte cognitione. De potentia volitiva & eius actibus ad latetatem usque agunt Theologi i. 2. qui vix aliquid de natura illorum degustandum Philosophis relinquunt, ad quos iure optimo pertinebant plura purè Philosophica, quæ iam Theologorum schola sibi arrogat. Nonnulla ad propriam sedem restitui, & forsitan Controuersis venturis aliquid prælibabo, ex his quæ Theologi iure disputant, sine illorum tamen iniuria, omnia enim ex principiis, terminisq; Philosophicis attingam.

PUNCTUM PRIMUM.

De obiecto voluntatis.

OBJECTUM voluntatis est bonum & malum: in bonum tendit actu prosecutionis, in malum actu fugæ. De natura boni, & mali dicam in Metaphys. Contr. 3. modo breuiter assero bonum esse duplex, vnum absolutum in se, alterum respectuum; bonum absolutum, quod in se integrum; pulchrumve est sine ordine ad aliquod subiectum. Hanc bonitatem habent etiam obiecta, quæ relatè ad aliud subiectum materialia sunt, sicuti nix in hyeme etiam relata ad animal mala sit, in se tamen habet frigiditatem, & candorem; quibus in se est bona. Bonum alteri conueniens diuiditur in honestum, vtile, & delectabile. Est difficultas inter Authores, an voluntas tantum feratur in bonum alteri conueniens, an etiam tendat in bonum absolutum, & secundum se. P. Vasq. i. 2. disp. 3. c. 3. Montel. i. 2. disp. 1. q. 1. affirmant voluntatem non ferri actu complacentiæ in bonum absolutum, sed vt relatum alteri & in ordine ad subiectum, quia nix non amatur hyeme, quando tunc non est bona subiecto, etiam si in se suam integritatem habeat. Non placet ratio; aliud enim est voluntatem complacere in niue secundum se: aliud in niue quatenus coniuncta seu applicata: ego in hyeme non complaceo in niue quatenus mihi applicata, complaceo tamen in illa quatenus in se est integra & pulchra: sicuti complaceo in eo quod amicus sit fortis, pulcher, & cordatus, quin amicum his qualitatibus præditum mihi, alteriue conuenientem apprehendam.

Sentio voluntatem posse ferri in bonum absolutum & secundum se sine ordine, neque delectatione ad subiectum; ita Hurt. disp. 13. sect. 1. Probo hanc conclusionem, ex actu amicitie, quo amo amicum in se ipso, & propter se ipsum, & gaudeo de perfectione, pulchritudine, & integritate amici, quin cogitem an mihi vel alij subiecto sit utilis, quo feror in bonitatem absolutam sine respectu ad subiectum. Vrgeo in actu charitatis erga Deum, quo ipsum amo propter ipsum abiq; alio respectu ad me, neque ad creaturam aliquam, aliàs talis amor non esset charitatis erga Deum, sed concupiscentiæ, si amarem Deum quatenus mihi bonum, vel charitatis erga proximum, si Deum, quatenus est bonus proximo, diligere. Dices actu amicitie erga homines, & erga Deum amare bonitatem amici, quatenus bonam ipsi amico, ac proinde semper voluntatem ferri in

bonum quatenus conueniens alicui subiecto. Subiicit solutio, quando amo amico diuitias vel honores, aliæ bona ab ipso distincta, quando verò gaudeo de bonitate intrinseca ipsius secum identificata propter se ipsum, quia in se bona est, tunc nulla est conuenientia inter id quod amatur, & id cui amatur, quando conuenientia debet semper intercedere inter ea, quæ realiter distinguuntur, nihil enim sibi conueniens esse potest.

Dices nihil esse sibi propriè conueniens, esse tamen impropriè: hac ratione vita hominis, quæ ab ipso non distinguitur primum maximumque bonorum omnium dictum mors verò malorum maximum. Caue ne nomen æquiuocatione materiam questionis omnino demas. Si eiuſdem entitatis ad se ipsam conuenientiam agnoscas, nullum obiectum poterit assignari, in quo talis conuenientia non reperitur; si enim dicis amicum secundum suam entitatem esse sibi conuenientem, sic calorem & quancumque aliam entitatem, formalitatemve quam assignes, dicam ego sibi esse conuenientem, & ita nunquam questio hæc locum inueniet, destruitur enim illius suppositum, videlicet bonum absolutum, cum omne bonum sibi bonum, & conueniens fingatur. Sed esto dicatur omne ens sibi bonum, atque conueniens, adhuc voluntas fertur in bonum vt absolutum, & sine hac conuenientia ad se ipsum, quod sic probo. Voluntas sæpè complacet in persona amici quatenus in se est bona, quin intellectus proponat bonitatem amici, neque ipsum amicum quatenus sibi conuenientem: ergo fertur in bonum quod proponitur vt absolutum ab omni conuenientia, & sine aliquo respectu ad aliud, neque ad se ipsum, ergo eodem modo tenderet in tale obiectum, etiam tale conuenientiam non haberet, quod enim non cognoscitur ab intellectu, proinde est ac si non esset in ordine ad actum voluntatis, qui sit sine tali cognitione.

Aliud est difficilius circa voluntatis obiectum, An videlicet voluntas possit ferri in bonum vt bonum actu fugæ, & in malum vt malum actu prosecutionis. Affirmant Nominales & alij plures apud Patrem Salas i. 2. q. 1. art. 2. tract. 1. disp. 13. sect. 1. Quod sequitur P. Azor. i. lib. 1. c. 10. noster Complutensis Hurtad. i. 2. disp. 3. diff. 1. Oppositum docet Vasq. i. 2. disp. 31. cum communi sententia, quæ tenet voluntatem tantum posse ferri in obiectum bonum formaliter, vt bonum actu prosecutionis, & in malum formaliter vt malum actu fugæ. Hanc conclusionem probat Vasq. Patrum auctoritate præcipuè Aug. & Dionysij dicentis, *nemo intendens ad malum operatur*. Ratione confirmatur desumpta paritate intellectus, qui non potest affectui obiecto vt falso, neque illi vt vero dissentire; ergo neque voluntas amare obiectum vt malum, neque odio habere obiectum vt bonum. Sicut enim verum & falsum sunt obiectum intellectus, ita bonum & malum voluntatis.

Efficacius eandem conclusionem confirmo: Ad hoc vt affectu odij inimicitie personam prosequar, necesse est reperiri in illa aliquam indignitatem, seu maliciam ratione cuius illam odio habeam; ergo ad hoc vt obiectum prosequar actu fugæ, seu odio abominationis, necessum est me cognouisse in illo aliquam rationem mali. Antecedens admittunt omnes; aliàs possem personam quam dignam meo amore apprehendo, & ex nullo capite digna odio seu malo aliquo, odio afficere, & ita summum bonum vt tale apprehensum odisse. Consequentiam probo: Actus odij respicit essentialiter tam personam cui volo malum, quam malum quod personæ cupio: ergo sicut nõ potest actus odio inimicitie respicere personam, vt bonam, & amicitia dignam, ita neque odio abominationis obiectum vt bonum & amore dignum. Idem dico de actu amoris, qui non potest esse actus amicitie circa personam indignam, sed necessario illam vt dignam respicit: ergo neque potest esse amor concupiscentiæ circa obiectum vt malum, sed necessario debet illud vt bonum respicere.

Obicit Hurtadus supra: Actus odij circa inimicum debet respicere malum, vt malum inimici, ibi sistendo: ergo circa malum vt malum versari debet: Antecedens probatur; Si ego vellem malum inimico quatenus mihi bonum, actus ille non esset odij, sed actus concupiscentiæ propriæ: actus quo ego volo bonum alteri quatenus mihi bonum, non est actus amicitie, quia hic debet sistere in bono amici præcisè quatenus est bonum illius.

Duo à nobis explicanda exposcit hæc obiectio: primum est cur actus amicitie debeat sistere in bono amici præcisè quatenus est bonum illius, & actus odij possit respicere malum inimici, quatenus mihi bonum. Secundum, quomodo debeat